BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
D
30
NAPOLI

Digitized by Google

INSTITUTIONES
PHILOSOPHICÆ

AUCTORE

MARIANO SEMMOLA

IN USUM

SUORUM AUDITORUM

CONCINNATÆ.

INSTITUTIONES METAPHYSICES.

B. R. NEAPOLIS

NEAPOLI MDCCXCVII
Ex Typographia Michaelis Migliaccio.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆCLARISSIMO VIRO
FERDINANDO CORRADINO
MARCHIONI SPECTATISSIMO

MARIANUS SEMMOLA S. D.

LItterario operi, Præclariſſime Vir; jam jam in publicam lucem prodeunti, nihil majus, nihil honorificentius ab Auctore ſuo exoptari poteſt, & felicius accidere, quam ut inſigni aliquo nomine decoratum emittatur. Jam vero nullum illuſtrius, ac vere inclytum nomen, niſi quod Mentis præſtantia, ingeniique

felicitate ſit comparatum : quod dein integritate ſumma, maximaque ſapientia in graviſſimis expediendis muneribus ſit & perfectum, atque firmatum: quod tandem egregio animi candore, atque incorrupta religione ſit numeris omnibus abſolutum. Qui ſunt hujuſce generis Viri, (ſunt enim vero admodum pauci) ſummi profecto ſunt, & vere magni: hi cum ceteris emineant, ſintque de Societate benemerentiſſimi, jure ab omnibus ſincere colendi: & cum æqui ſint, atque idonei rerum æſtimatores, in eorum ſententiam libentiſſime reliqui deſcendunt, ut nec audax obtrectatorum manus aſſurgere contendat. Solent & alia publicæ exiſtimationis capita percenſeri: at quæ a proprio cujuſque merito non repetuntur, & fortunam, non jam virtutem comitem habent, natura ſua & ſunt nimis fluxa, & ab omnibus, queis cor ſapit, parvi penduntur. Certe, qui ſtulte hiſce gloriantur, haud recogitant Horatianum illud

Ne cum forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum
Furtivis nudata coloribus.

Bene homines intelligunt, quid inter adſcitum, & proprium decus interſit; & ut huic juſtam, meritamque habent venerationem, ita illud deſpiciunt, & averſantur. Hinc ſi qui ſplendidis decepti nominibus aliquem hujuſmodi Virum honeſti laboris ſui patronum inconſulte delegerint, tantum abeſt, ut bene rei ſuæ proſpexerint, ut potius in ſe publicam hominum contemptionem ſtultiſſime concitent. Hæc quum ita ſint, nemo profecto non probabit, cur tantopere exoptaverim, ut meus iſte labor qualiscunque Tibi, Præclariſſime Vir, nuncuparetur: tantoque conceſſo honore ſummopere mihi gaudeam, atque triumphem. Nomen enim tuum tot tantiſque de cauſis illuſtre, atque conſpicuum, eo profecto illuſtrius jure, meritoque celebratur, quod ſupra reliquorum hominum ſortem, non fumoſis imaginibus referta atria, non egregia majorum facinora, ſed tuæ Te virtutes unice extulerunt. Tu a prima uſque ætate fori curriculum ingreſſus, tantum ingenii acumine, legum ſcientia, gravitate, probiſque moribus ceteris præluxiſti, ut inde auſpicium factum ſit, Te ad grandia natum, quod dein mox compro-

ba-

bavit eventus. Re quidem vera, quum tot, tantarumque virtutum tuarum fama diutius fori ambitu contineri non potuerit, factum eſt, ut FERDINANDUS providentiſſimus REX noſter regiorum Hetruriæ præſidiorum Aſſeſſorem, & mox etiam Auditorem in Teates, & Aquilæ Tribunalibus deſtinaverit. Quæ vero in hiſce muneribus ſapientiæ, integritatis, ac ſolidæ probitatis argumenta præſtiteris, ex eo plane intelligi poteſt, quod non multo poſt Neapolim ſis revocatus, & in ſupremo totius Regni Tribunali a ſapientiſſimo Principe Criminum Judex conſtitutus. Per hoſce veluti gradus feſtinatis honoribus Te a ſecretis Regni, Te Realis Cameræ Sanctæ Claræ Conſiliarium, Te demum Conſiliarium, & ſupremum Sacrarum Rationum Curatorem vidimus. Tu vero omnibus hiſce muneribus major, re oſtendiſti, ſtrenuam in laborando aſſiduitatem tuam nec ſenectute remitti, nec negotiis opprimi poſſe. Hinc illa eadem Regis Sapientia, quæ Tibi probe cognito tanta demandaverat, ad majora protinus extulit. Te ſibi a ſecretis in Eccleſiaſticis, & Sacri Patrimonii rebus aſſumſit, ut in ampliori theatro collocatus cla-

rius

rius eniteſceres. Quæ duo graviſſima omnium onera ita per Te adminiſtras, ut & Principi probatiſſima procuratio tua ſemper extiterit, & reliquis omnibus admiratione digniſſima. Tot, tantæquæ dignitates cum honorum continuatione habitæ, eo Tibi majori ſunt laudi, quod certum eſt, non gloria Majorum, non aliena ope, non cæco fortunæ impetu, non externis ſubſidiis, ſed tuis virtutibus, & ſapientiſſimo Regis Conſilio eſſe conſequutum. In hac tua tam multiplici, tam ſolida honorum, & gloriæ ſegete nihil ſane erat, quod operi meo melius potuiſſem optare, niſi ut tuo nomine ſuperbum, tua claritate decoratum, patrocinio tuo tutum in manus hominum prodiret. Voti compos effectus, reliquum nunc eſt, ut Te facilitatis in me tuæ non pœniteat, potiſſimum cum Adoleſcentium educationi, cui tantopere, & ſine intermiſſione ſtudes, ſit illud inſcriptum; & ego de tanta in me indulgentia gratias agam immortales. Sis lætus, & Te Deus virtutum omnium exemplar ſoſpitet ſemper, ac pro publico hujus Regni bono in ævum ſervet incolumem.

IN UNIVERSAM METAPHYSICAM

PRÆFATIO.

I. LIcet *METAPHYSICES* nomen forte olim fuiſſe cuſum videatur: tamen facultati, quam elucidandam ſuſcipimus, apprime conſonum eſſe, nemo profecto ambiget. Si enim *Phyſices* nomine a Græco vocabulo Φυσις, *Phyſis*, quod naturam ſignificat, rerum ſenſibilium pertractatio inſignita fuit: jure *Metaphyſica* dicenda erat, μετα την φυσιν, ſcientia nimirum *ſupra Naturam*, facultas illa, quæ res a materia ſecretas, neque ſenſibiles rimatur abſtractionis & ratiocinii ope.

II. Equidem, cum noſtræ naturæ conditione fiat, ut primæ rerum omnium notiones e ſenſibilibus, & materia concretis exordiantur, tum gradatim progrediendo ad inſenſibilia aſcendamus, & ſecreta a materia: ordinis ratio poſtulare videtur, ut nullus *Metaphyſices* penetralia adeat, niſi Phyſicis cognitionibus antea inſtructus. Atqui Majores noſtri contrarium tenuere iter; qui mos, poſtquam ad nos uſque devenit, veluti ſacer fuit, & religioſe ſervatus; quantum enim ſcio, nemo hactenus illum adgredi eſt auſus, ſive id nimia antiquitatis veneratione factum ſit, ſive ex animi imbecillitate, ſive alia quacumque ex cauſſa. Nolim rectæ licet ſententiæ novitate in alicujus cadere offenſionem; quilibet jure

utatur ſuo, &, quam libuerit, ſequatur ſemitam. At illud ſaltem indigitare ex munere meo duxi, ut diſcant Tyrones planum, & magis profuturum emetiri, quem alias ſalebroſum experiri ſolent, ſtudiorum curriculum.

III. Quæ ſupra ſenſibilia adſcendunt, & a materiali compage ſunt ſecreta, diverſa reſpicere poſſunt, atque ideo non immerito hinc *Metaphyſices* partitionem deſumemus. Nempe, quæ ſola mentis abſtractione aſſequuntur, ſi quidem generales rerum omnium proprietates ſpectant, *Ontoſophia*, prima ſcilicet Metaphyſices parte, continentur. Quæ vero ſpectant Mundum in genere, atque ideo extra ſenſuum aciem conſtituta ſolius ratiocinii vi agnoſci poſſunt, alteram ejuſdem partem conſtituunt, quam *Coſmologiam* dicimus. Sunt vero quæ ſuapte natura ab omni materiæ concretione ſunt ſejuncta, Mens ſcilicet humana, & Deus, duaſque alias ſiſtunt ejuſdem facultatis partes, *Pſycologiam* ſcilicet, & *Theologiam Naturalem*. Poſtrema tandem pars hominis relationes erga Deum, ſeipſum, ſuique ſimiles expendens, quæ inde ſequantur officia monet, morumque præcepta decernit; tum artem edocet recte vitam inſtituendi, ut felicitatem conſequamur; eaque *Jus naturæ*, iſthæc *Ethica* nuncupari conſuevit. Quinque itaque partibus *Metaphyſica* continetur, quarum priores quattuor modo vobis exhibeo, Adoleſcentes optimi, non exuccas, nec vanis, garruliſque ſubtilitatibus ſcatentes, ſed doctrinis, quæ veram redolent ſapientiam, refertas. Has partim quidem collectas, partim mihi in meis meditationibus ſponte veluti

ſua

ſua occurrentes, elucubrare, & ingenio veſtro, quantum cognovi adcomodare ſategi. Poſtremam vero partem, favente Deo, mox ut otium, & vires ſuppetent, adjiciam.

IV. Ex ipſa objecti explanatione, quam modo breviter proſequuti ſumus, abunde quiſque intelligit, quanta ſit hujuſce facultatis, quam pertractandam ſuſcipimus, utilitas, atque præſtantia, Si enim facultates cæteræ ex eo præcipue commendandæ veniunt, quod Civi, vel Homini proſint, iſta equidem, quæ utrumque quam maxime præſtat, & qua ſine illæ ſuis deſtitutæ fundamentis claudicant, collabuntur, vel in perniciem facile vertuntur, omnium princeps haberi debet.

V. Nec profecto audiendi ſunt, qui percenſentes multa ingeniorum monſtra (quorum nomina æterna ſunt digna oblivione) ex Metaphyſicis, ut inquiunt, ſpeculationibus prodeuntia, quæ extremam veluti perniciem homini, ſocietati, & religioni minitata ſunt, ipſam hanc ſcientiam veluti pernicioſam deſpiciendam eſſe, & avertendos ab ea adoleſcentes autumant. Hi enim ſic clamitantes, Metaphyſices penetralia numquam adiiſſe revincuntur, neque adeo æquos ea de re judices eſſe, cum, quid interſit verum inter, & larvatum Metaphyſicum, neſciant dignoſcere. Deinde dicam Ovidii verbis. *Triſt. lib.* 2.

Igne quid utilius? ſi quis tamen urere tecta
Comparat; audaces inſtruit igne manus.

Nimirum illa ingeniorum monſtra non e Metaphyſica prodiere, ſed eam adierunt, ſteteruntque in ipſo ejus limine, ut Metaphyſico pul-

vere conſperſis in ſcenam proſilientes facile illuderent. Quot ſane præclara ingenia heic commemorare poſſem, quæ Metaphyſicam non e limine ſalutantia, ſed ejus interiores receſſus diuturno, & aſſiduo labore perluſtrantia, & proſtraverunt illa priora, tum de ſocietate, & religione quam optime ſunt merita? Sapientiſſime Verulamius *de augum. ſcien. l.* 1. *p.* 10. „ Philoſophia obiter libata a Deo abducit; penitus „ hauſta reducit ad eumdem „ id quod ſerio recogitent Tyrones in primis velim.

ME-

LECTORI INGENUO.

Miraberis fortaſſe, candide Lector, eccur in tanta Philoſophicarum Inſtitutionum ſegete, quæ ubique proſtat, has & ego alteras in publicam lucem emittere inchoaverim. Equidem, ut mei operis rationem afferam, nihil de illarum merito detrahere volo, ſicuti apud ceteros pene omnes, qui aliquid novi condunt, in more poſitum eſſe videtur. Regeram & ego candidus quod ſentio, quodque olim attuli, quum Logicas Inſtitutiones italico idiomate conſcriberem. Sicuti tanta in rebus ſingulis varietas Natura conſtituta eſt, ut in infinita pene rerum multitudine nullibi reperire ſit duo Entia perfecte ſimilia: *ita profecto in humanis fingendis ingeniis non æqualem, nec ſimilem formam illa eadem ſequuta eſt. Hinc mira opinionum, atque ſententiarum varietas, & diſcrepantia: hinc multiplex ſimilium quoque ſententiarum expoſitio: multiplices & dicendi, & probandi rationes: alii, atque alii doctrinarum nexus, atque ordo: hinc tandem, ut quilibet ſenſu ſuo abundet. Jam vero longa annorum ſerie, quibus docendi, ac in rebus philoſophicis inſtituendi Adoleſcentes cum olim in Nolano Seminario, tum modo Neapoli, munere perfungor, edidici, nonnihil negotii Auditoribus faceſſere, ſi quandoque occurrat, ut Auctoris, cujus inſtitutiones præ manibus habent, ſententiæ minus a Præceptore probentur. Fit enim, ut neutrius ſententias mente adæquate concipiant; aut ſi quidem concipiant, difficillime tamen memoria ſervent, & utrarumque teneant momenta. Quin im-*

mo

mo ipſæ diverſæ ſive exponendi, ſive dicendi formæ, quæ haud vitari poſſe videntur, ſolent quandoque & illos immorari. Quæ quum ita ſint, conſulto fieri conſuevit ab omnibus, quos Auditorum ſuorum commodum, atque utilitas movet, ex modulo ſuo inſtitutiones condere. Atqui, cum omni procul dubio maximopere in primis interſit, non inanes & fucoſas doctrinas hiſce complecti, ſed ſelectas, & ſolidas, & eas, quæ gravioris ſunt momenti penſiculate perſequi: tum vero omnes, quo fieri poteſt concinniori ordine, & didaſcalica oratione exponere oportet, ac novis ſive inventis, ſive excogitatis opportune locupletare. Verum enim vero Nemo in propria cauſſa judex certo incorruptus. Quid igitur boni præſtiterim in hiſce Metaphyſicis Inſtitutionibus, quidve in ſequentibus ſim præſtiturus, non meum, ſed tuum eſto judicium, candide Lector. Quod ſi non contemnendas, nec merito vacuas iſtas judicaveris, non tam ingenii mei viribus, quam probæ, ac ſubactæ mediocris ingenii culturæ tribuas, quam aſſiduis, atque providentiſſimis curis Præclariſſimi, ac beneficentiſſimi Nolani olim Antiſtitis, mox vero benemerentiſſimi Panormitani Archiepiſcopi, ac Siciliæ Præſidis probatiſſimi PHILIPPI LOPEZ Y ROYO *in eodem Nolano Seminario alumnus excepi. Equidem ſi quid in litteris, & in morum diſciplina profeci, libenti ac grato Animo, nec non ingenuo pudore fateor, me Ei acceptum referre. Vale.*

METAPHYSICARUM INSTITUTIONUM

PARS PRIOR

IN ONTOSOPHIAM PROLEGOMENA.

§. 1. ONTOSOPHIA, ſi vocis etymon inſpiciamus, idem ſonat ac *Scientia Entis*. *ENTIS* autem nomine utuntur Metaphyſici, quo notionem maxime generalem, omnibus rebus, ſive quæ ſint, ſive quæ eſſe poſſint, communem, exprimant. Quapropter *Ontoſophia* recte definienda venit, Scientia, *quæ generaliſſimas, & maxime communes rebus omnibus proprietates expendit*.

§. 2. Facile hinc Quiſque intelligit, Axiomata, ſeu cognitionum principia, quæ locum ſibi in Ontoſophia jure vindicant, eſſe pariter debere omnium maxime generalia. Duo itaque potiſſima heic exhibebo, quorum alterum *contradictionis* vulgo dicitur, alterum vero *ſufficientis rationis*.

§. 3. *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.* Hoc principium contradictionis appellatur; ſiquidem cum de una, eademque re aliquid ſimul

 af-

affirmamus, & negamus, nobis contradicere dicimur. Hujus evidentia, & maxima certitudo ex ipſis terminis tam clare conſtat, ut nihil magis; neque hilum dubitamus inter amentes, vel ſtupidos rejicere, qui intellectis terminis vel primo intuitu illam non aſſequuntur. Deinde, in veritatum ſerie ultra hoc principium adſcendere haud poſſumus; ipſo enim non dum poſito, quodcumque aliud ſtatuatur pro vero ſimul & falſo haberi poſſet. Patet hinc *contradictionis principium* primum eſſe, & penitus indemonſtrabile.

§. 4. Ex adducto mox principio ſponte ſua fluit I. non poſſe unam, eamdemque rem attributis conſtare, quæ ſe mutuo deſtruunt; II. ſi ex hypotheſi per legitimam & neceſſariam conſequentiam ea ſequantur, quæ ſe mutuo deſtruunt, hypotheſim illam impoſſibilem eſſe. Ex. gr. ſi quis per hypotheſim aſſumat triangulum rectangulum, & æquilaterum, mox per legitimas illationes, quæ ſe mutuo deſtruunt, deduces; illam ergo hypotheſim merito pro impoſſibili habebis.

§. 5. Putarunt Scholaſtici prædictum effatum totius humanae eruditionis principium eſſe, quaſi ex eo defluant quævis humanæ cognitiones. Sed nihil inſcitius dici poterat. Cum enim omnis humana eruditio ex ſingularibus prima habeat exordia, tum per gradus ad generalia adſcendat, nullum profecto eſſe poteſt hujuſmodi principium, quod fons ſit & origo totius humanæ eruditionis. Procul autem omni dubio pro univerſali analytico principio haberi debet, ad quod ſcilicet per continuam analyſim, tanquam ad ulti-

mum

mum tribunal revocari poteſt quævis propoſitio, ut ejus veritatem, vel falſitatem contra Pyrronicum evincamus.

§. 6. Cur aliquid ſit potius, quam non: hoc potius modo, quam alio &c. *ratio ſufficiens* appellatur. Hanc vulgo exigimus in iis expendendis affectionibus, quæ Enti præter eſſentiam inſunt; quæ nimirum ita Enti inſunt, ut earum loco contradictoriæ, vel aliæ quævis affectiones ineſſe poſſint, tamen non inſunt.

§. 7. Ut autem ratio vere ſit ſufficiens ejuſmodi eſſe debet, ut ea ſatis ſit ad præſtandum id, cujus eſt ratio ſufficiens; alias ſufficientis nomen non meretur, cum reipſa ſit inſufficiens. Atque hinc patet ſufficientem rationem ejuſmodi eſſe, ut ea poſita ponatur etiam id, cujus eſt ratio ſufficiens, ſecus rurſum inſufficiens foret: quippe præter illam rationem aliud quidpiam modo requireretur ad ponendum illud, quod non dum eſt poſitum.

§. 8. *NIHIL eſt ſine ſufficienti ratione.* Hujuſce principii indubia veritas cuilibet ſponte ſua occurrere autumamus. Si quis vero demonſtrationem requirat ex principio contradictionis facile eruemus. Sane inſit enti A quævis affectio N præter eſſentiam, ita nempe ut contradictoria affectio — N, vel alia quævis diverſa M eidem ineſſe poſſit. Ex duabus contradictoriis affectionibus N, & — N, quæ ſeorſim in eodem Ente ineſſe poſſunt, nec non ex diverſis N, & M in eodem Ente æque poſſibilibus, vel adeſt ſufficiens ratio cur altera inſit, vel non. Si primum, adſtruitur propoſiti principii veritas. Si ſecundum,

quia contradictoriae affectiones N, & — N, nec non diverſæ N, & M ſint in Ente A ex hypotheſi æque poſſibiles, vel utraque, vel neutra inſidere deberet: par enim eſt pro utraque ratio. Sed utrumque eſt contra hypoteſim. Quare ſi enti A inſidet affectio N, cum, ejus inſpecta natura, ex æquo inſidere poſſet vel contradictoria affectio — N, vel alia quævis M, id aliqua ratione, & quidem ſufficienti, fieri oportet. Nihil ergo eſt abſque ſufficienti ratione.

§. 9. Hujuſce principii veritatem quam maxime commendat illa in omnium animis ingenita prurigo quærendi ſemper *cur hoc? cur illud?* a qua numquam conquieſcimus, niſi ſufficiens hujus, & illius ratio non occurrat. Eſt hæc ſine dubio tacita quædam naturæ vox, nihil eſſe ſine ſufficienti ratione.

§. 10. Ex dictis liquet, nullum dari, nec dari poſſe *purum Caſum*. *Puri caſus* nomine intelligitur eventus, cujus nulla ſit ſufficiens ratio. Equidem hujuſmodi notio nullo prorſus pacto concipi poteſt, & ex illis eſt, quæ omni humanæ rationi pugnant. Quod ſi quandoque plura caſu, & fortuna fieri dicuntur, id ex eo eſt, quod cauſſas, rationeſque, e quibus illa continuo, & certo nexu pendent, minime pervidemus. *Propter obſcuritatem*, ſapienter Tullius *qq. Acad. l.* 2. *ignorationemque cauſſarum fortuna efficit multa improviſa, nec opinata;* & Juvenalis *Sat.* 10. *ſed te — Nos facimus, Fortuna Deam, Coeloque locamus*. Nempe, ne noſtram ignorantiam fateamur, malumus *caſus, & fortunæ* inania verba proferre, & ita nosmet-

ip-

ipſos deludentes, ignorantiæ noſtræ acquieſcere. Inveſtigatio ſane cauſſarum, & rationum mentis aciem exigit, & improbum laborem. Hinc eſt, ut qui minus ingenio valent, vel ſunt laboris magis impatientes, plurima caſui, & fortunæ tribuant, quæ acutiores, & laborioſi per ſuas rationes, & cauſſas facile expediunt.

§. 11. Sufficientes rerum rationes inveſtigare proprium eſt Philoſophi. Nam ut inquit Genuenſis „ populus rerum phænomenis eſt contentus; „ philoſophus in rerum cauſſas, & principia in- „ quire debet, quod egregie vocant Platonici „ mundum intelligibilem, & populo ignotum „ veſtigare. Qua Philoſophia nihil validius eſt, „ atque efficacius cum ad vitam pacate ducen- „ dam, tum quoque ad reipublicæ tranquilli- „ tatem. *Schol. prop. XVII. El. Met. par. prior.*

§. 12. Caveant vero Tyrones I. ne aniles reputent fabulas omnia, quorum incomperta eſt, vel impervia ſufficiens ratio. Meminerimus imbecillitatis noſtræ, & ingenue fateamur, innumera eſſe, quorum rationes neque perſpeximus hactenus, neque in ævum comperiemus. Ecquis hactenus novit cur Magnes ferrum trahit? cur Gymnotus, non cæteri piſces, electricitate polleat? cur Jovi quatuor ſatellites, non plures, neque pauciores ſint conceſſi, tum ſeptem Saturno, nullus Marti, unus Telluri? &c. Recogitemus vetus illud ac ſapiens Epicharmi decretum „ Nervos eſſe ſapientiæ, nihil temere cre- „ dere „ ſed neque obliviſcamur nimis temerarium, immo ſtultum eſſe, rerum veritates ex modulo noſtro metiri. Itaque nihil gratis aſſe-

ren-

rendum, aut gratis affirmanti concedendum ; at ubi præſto ſint exteriora momenta, quibus aliquid ſuperſtruitur, hæc prius diſcutienda ſunt, ne illud pertinaciter negantes temeritatis notam merito incurramus, & veritati ſponte contradicere velle videamur.

II. Haud putent Tyrones ſufficientes rationes, quibus Cauſſæ ad agendum determinantur ſemper ipſis cauſſis extrinſecus quærendas eſſe, quum pluries queant eſſe internæ: id quod præſertim de agentibus libero arbitrio præditis dictum velim. Qua de re animadvertant, quod licet ultro fatendum ſit, ſapientis eſſe nihil agere, nihil deliberare, niſi ex omnium, quæ occurrere poſſunt, rationum calculo: haud tamen putandum eſt, has rationes veram, & internam ſufficientiam continere, qua liberarum cauſſarum indeclinabilem ſive flagitent, ſive extorqueant aſſenſum. Equidem ſi ita res ſe haberet (id quod viſum eſt Leibnitianis), cauſſæ illæ nequaquam liberæ dici poſſent. In ipſa natura cauſſarum liberarum, ſive in ipſo earum libero arbitrio ratio ſufficiens continetur, cur ſe cieant, determinentque, quin ulla requiratur alia ratio. Externæ rationes, ſi quæ adſunt, ſuam ſufficientiam ex ipſo libero arbitrio conſequuntur, ſi quidem conſequuntur. Sapienter Cicero de *Fato* c. 1. *Motus enim voluntarius eam naturam in ſeipſo continet, ut ſit in noſtra poteſtate, nobiſque pareat ; nec id ſine cauſſa, ejus enim rei cauſſa ipſa natura eſt.*

CAP.

CAP. I.

De Eſſentia, & Attributis.

§. 13 QUamlibet nobis notam rem acutius perluſtrare velimus, notio Menti obverſabitur plures conceptus complectens; cumque nihil ſit abſque ſufficienti ratione, monemur hinc totidem veluti realitatibus rem ipſam conſtare, ſeu totidem diſtinctis notis. Has duplicis eſſe generis, noſcimus; aliæ ſiquidem perpetuo res ſuas comitantur, aliæ non item: abeunt enim, pereuntque ipſa tamen re permanente, queis aliæ ſuccedunt, atque aliæ, vel primæ iterum redeunt. Deinde notarum, quæ res perpetuo comitantur, quædam videntur veluti primæ, quarum nempe ſufficiens ratio nequit ab aliis derivari; & hæ appellantur *proprietates* rei *eſſentiales*. Aliæ, quæ e primis fluere videntur, & in ipſis habere ſufficientem rationem, *attributa* dicuntur. Notæ vero rem non comitantes perpetuo, ſed quæ continuo abeunt, & queis aliæ ſuccedunt, mox vel numquam redituræ, *modificationes*, *affectiones*, *qualitates*, vel tandem *accidentia* ſolent nuncupari.

§. 14. Indiviſibilis complexus omnium proprietatum eſſentialium, quæ rei cuique inſunt, dicitur ejuſdem rei *Eſſentia*, & quandoque etiam *Natura*, licet minus proprie. *Eſſentia* igitur inſtar unius conſideranda venit, cui ſcilicet nihil ad-

addi poteſt, nihil demi, quin ipſa res pereat; & alia atque alia continuo fiat: atque adeo notio eſſentiæ pendet ab adæquata cognitione omnium, ac ſingularum proprietatum eſſentialium.

§. 15. Per eſſentiam itaque quælibet res talis præciſe res conſtituitur, & non alia: ac proinde non inſcite Scholaſtici eſſentiam definiebant *Forma rei intrinſeca, qua res eſt potius talis, quam alia*: nempe forma rei intrinſeca eſt illud ipſum, quod Nos enucleatius diximus indiviſibilem omnium proprietatum eſſentialium complexum.

§. 16. Ratio ſufficiens proprietatum eſſentialium, atque adeo ipſius eſſentiæ, non aliunde, quam a cauſſa, quæ *eſſe* rei elargita eſt, repeti poteſt. Attributorum ſufficiens ratio in eſſentia continetur. §§. 13. 14. At modorum ſufficiens ratio non in eſſentia, neque in attributis unice quærenda venit; alias iidem modi eidem rei perpetuo ineſſent §. 7.; ſed partim in attributis, partim in aliis entibus: nempe eorum poſſibilitas in attributis continetur, determinatio autem, ſeu actualitas ab aliis entibus pendet.

§. 17. Carteſius autumavit rei cujuſque eſſentiam reponendam eſſe in illa ejus proprietate, quæ prima concipitur, & veluti cæterarum origo. Recte id quidem, ſi res adeo ſimplex ponatur; ſed nonniſi inſcite de ſingulis quibuſque rebus id ſtatui poteſt. Dari enim poſſunt, quin immo revera dantur, res pluribus affectæ proprietatibus, quarum ſingulæ pro primis ſunt habendæ, cum ratio ſufficiens unius nequaquam in altera contineri intelligatur.

§. 18. *Eſſentia* diſpeſcitur I. *in realem*, & II.

II. *notionalem*, ſeu *idealem*.

I. *Realis* eſt quæ rem, qualis in ſe eſt, conſtituit; ſeu eſt integer ille eſſentialium proprietatum complexus, qui rei cuilibet inſidet; quæ rurſus triplex eſt 1. *concreta*, 2. *abſtracta*, 3. *æterna idealis*. Eſſentia realis *concreta* eſt eſſentia cujuſque rei ſingularis exiſtentis. *Abſtracta* vero eſt Specierum, & Generum; tum *abſtracta* dicitur quoque eſſentia proprietatum, quæ rebus concretis conveniunt, ſed quæ ab iis veluti ſecretæ concipiuntur. ex. gr. éſſentia *Virtutis*, *Pulchritudinis* &c. Tandem *Aeterna idealis* eſt Exemplar divini Intellectus, quo res expreſſa continetur. (*a*)

II. *Notionalis* Eſſentia dicitur illa, quæ rem, qua-

(a) Quo diſcrimen inter *concretam*, & *abſtractam eſſentiam* recte teneant Tyrones, animadvertant, quotquot exiſtunt ſingularia eſse. At cum iſthæc in pluribus notis ſimilia ſint, in quamplurimis aliis diſcrepent, hæc ſimilitudo primum *Speciei* nomine exprimimus. Rurſus ſpecies ipſas, utut inter ſe diſcrepent, in pluribus tamen notis adhuc ſimiles deprehendimus: hanc modo ſpecierum ſimilitudinem *Genus* vocamus - Quare complexus proprietatum rem ſingularem, qualis revera eſt, conſtituentium, ejus dicitur Eſsentia *concreta*. Complexus vero illarum tantum proprietatum eſsentialium, quæ continentur in ſimilitudine, quam *ſpeciem* vocamus, vel *genus* Eſsentia eſt *abſtracta ſpeciei*, vel *generis*. Jam vero, cum ſingularia, ſeu individua per peculiares notas, quæ in ſpeciei, & generis notione minime ingrediuntur, inter ſe diſcriminentur, facile intelligitur, eſsentias concretas magis compoſitas eſse, abſtractas autem ſimpliciores; ſeu, quod idem eſt, primas plurium proprietatum eſse complexiones, ſecundas autem pauciorum.

qualis a nobis concipitur, conſtituit. Hæc merito ſecernenda eſt ab eſſentia reali; quippe

§. 19. Reales rerum eſſentias omnes ad unam nos latere, aut ſaltem certo non conſtare, ultro fateri debemus. Ecquis enim completam ullius rei notionem ſibi comparaſſe contendet? Quî reddi poſſumus tuti vel in ipſis magis obviis rebus nullam ſupereſſe adhuc latentem proprietatem? Confer, quæ in Logica diximus. Deinde ea ipſa, quæ noſſe putamus, non ſunt niſi mentis noſtræ phænomena, pendentia quidem ab objectis externis utpote ſenſuum fibras irritantibus; ſed quæ nulla prorſus ratione patefaciunt, quid intrinſecus ipſa ſint objecta externa; qua de re alibi opportunius. Hinc quæ in Scholis definiri ſolent Eſſentiæ, notiones rerum ſpectant, non res ipſas. Cum ergo noſtræ notiones, præſertim ſubſtantiarum, numquam ſint adæquatæ, tum varient quamplurimum pene pro numero mentium; facile intelligitur, quantopere in hominibus eſſentiæ rerum notionales ſint tum inter ſe diverſæ, quum a realibus diſcrepent.

C A P. II.

De variis Entium generibus.

§. 20. Cum Entis notio tum rebus, quæ actu exiſtunt, tum quæ non exiſtunt quidem, at exiſtere poſſunt, ex æquo conveniat (*a*); hinc pri-

(a) Entis vocabulum emphatice a Platonicis uſurpatum

prima, & generaliſſima Entis diviſio eſt in Ens *actuale*, ſeu *exiſtens*, & *potentiale*, ſeu *poſſibile*.

§. 21. Ens actuale vel ita exiſtit, ut tota ſuæ exiſtentiæ ratio ſufficiens in ſua eſsentia contineatur, ſeu ut ejus exiſtentia in ſuæ eſsentiæ conceptu includatur, & Ens *a ſe*, ſeu Ens *neceſſarium* appellatur. Hujuſmodi eſt ſolus Deus. Vel exiſtendi ſufficiens ratio in altero Ente continetur, & Ens *ab alio* dicitur, ſeu Ens *contingens*. Hujuſmodi ſunt præter Deum cætera quævis Entia. Utriusque entis caracteres alibi opportunius expendendos rejicio.

§. 22. Quæcumque hujus Mundi Entia contemplari velimus, innumeris ea mutationum viciſſitudinibus perpetuo obnoxia eſse deprehendimus: interim in tanta pereuntium, ac ſe invicem ſuccedentium mutationum ſerie, Entia illa adhuc perdurare intelliguntur. Merito hinc conficimus, tot tantiſque mutationibus aliquid perdurabile ſubſtare, cujus diverſæ ſint modificationes quotquot excipit mutationes. Porro primum illud ſubjectum perdurabile, ac modificabile *Subſtantia* dicitur. Quod vero hujuſce ſubjecti modificatio eſt, & concipitur, *Modus* appellatur.

§. 23.

---

tum legimus, pro eo ſcilicet, quod æternum eſt, & perfectiſſimum; hinc res factas non *entia*, ſed *entium umbras* iidem appellarunt. Hæc equidem loquendi ratio ſublimior eſt, & vere philoſophica: Deus enim eſt Ens abſolutiſſimum omnes entitatis rationes in ſe uno complectens. Quis ex ſacris Scripturis illam hauſtam non dixerit! ſane *Exod.* III. v. 14. Ipſe Deus, quis eſset, ſciſcitanti Moyſi reſpondens, dixit: *Ego ſum, qui ſum.*

§.23. Primam ſubſtantiæ notionem ex entium contigentium contemplatione mentibus noſtris informamus : hinc eſt, quod ſubſtantiam concipiamus tamquam ſubjectum aliquod primum perdurabile ac modificabile. Cæterum nequit hæc ſubſtantiæ notio ex æquo aptari Enti neceſsario, nempe Deo, cui nullæ ineſse poſsunt modificationes. Deinde animadvertendum notionem ſubſtantiæ mox traditam penitus abſtractam eſse : nullibi ſiquidem reperire eſt ejuſmodi ſubjectum, quod nullas actu modificationes habeat. Quot quot exiſtunt, ſunt undique determinata, & ſingularia ; univerſalia, quod ſæpe dictum eſt, non ſunt niſi Mentis noſtræ abſtractiones.

§.24. Cum ſubſtantia *primum* ſit ſubjectum &c. §.21. quodvis aliud ſubjectum, cui inſit, & inhæreat, excludit ; (ipſa enim ſibi ſubſtat, & ſubjectum eſt quarumvis modificationum, quæ ei obtingere poſsunt) non vero excludit quodvis aliud ſibi externum ſubjectum, in quo ſola inſit ſufficiens ratio ſuæ exiſtentiæ. Quid enim implicat ſubſtantiam principium ſuæ exiſtentiæ extrinſecus habere, interim vero ipſam ſibi ſubſtare, quin indigeat eidem principio inhærere ad inſtar modificationum ? Ex. gr. decora Palladis forma, quam ſaxo inſculptam miramur, ſui principium ſeu ſufficientem exiſtentiæ rationem ab artifice petit : at interim ſaxo, non artifici inhæret. Quî ergo ſubſtantia ab externo principio ſufficientem ſuæ exiſtentiæ rationem petens eidem principio inhærere debet? porro ad differentiam modificationum ipſa ſibi ſubſtare nihil vetat.

§. 25.

§. 25. E contrario *Modi* nequeunt ipſi ſibi ſubſtare, ſed neceſſario, & natura ſua alicui Subjecto inhærere debent (*a*).

§. 26. Operæ pretium eſt heic expendere impiam non minus, ac abſurdam Subſtantiæ definitionem, quam Benedictus Spinoza ex ſuo jecinore compoſuit. Verſutus Homo pantheiſticam molem ſtruere contendens, definitionum, theorematum, ac corollariorum exteriori apparatu Geometrarum morem mentitus eſt, ut Lectoribus facile poſſet illudere. Quare hanc præmiſit Subſtantiæ definitionem: *Per Subſtantiam intelligo id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur;* tum explicationem ſubdit, *hoc eſt, id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.*

I. Verbis illis *quod in ſe eſt* duplex ſubjici poteſt ſenſus: 1. *quod in ſe eſt*, nempe *a ſe*, quamlibet excludens externam cauſam, a qua producatur; 2. *quod in ſe eſt*, nempe *ſibi ipſum ſubſtat*, quodvis intrinſecum Subjectum, cui inhæreat, excludens, contra id quod proprie Modorum eſt. Hic ſecundus Subſtantiæ conceptus, verus eſt, ſed nihil Pantheiſmo, cui ſtudet

B Spi-

(a) Nemo mihi calumniam inferat eo, quod in auguſtiſſimo Eucariſtiæ Sacramento, permanentibus panis & vini accidentibus, fide Divina tenendum ſit, nullum remanere panis, & vini ſubjectum. Nam, quos vulgo modos, & accidentia in hoc Ven. Sacramento appellamus, pro meris habeo adparentiis, & phænomenis. Nempe, deficiente ſubſtantia panis, & vini, Divina virtute ſuppleantur in ſenſibus noſtris illæ eædem impreſſiones, quæ fierent a reali panis, & vini ſubſtantia. Hinc profecto fit, ut illæ ſenſibiles repræſentationes nobis occurrant.

Spinoza, favet. Primus, cui ſoli pantheiſticam molem inædificare ſatagit, falſus eſt, qui neque ab ipſo Spinoza, neque a quovis ejus Aſſecla hactenus eſt demonſtratus.

II. Neque minus fallax eſt explicatio definitionis ab eodem allata. *Cujus* (inquit) *conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari queat*. Si intelligit, *conceptum Subſtantiæ præſcindi poſſe a quovis alio conceptu*, ultro concedimus; ſi vero intelligat, *Subſtantiæ conceptum neceſſario a ſe excludere conceptum alterius rei, a qua ipſa Subſtantia producatur*, ſeu *in qua inſit ſufficiens ratio, & principium ſuæ exiſtentiæ*, & id gratis aſſerenti in ævum negabimus. Interim ex allata pœnitenda definitione illa ſua oracula depromit catus Homo: *Unicam in Mundo Subſtantiam extare. Hanc unicam Subſtantiam eſſe Deum: Hujus deinde modificationes eſſe quotquot in Univerſo cernimus &c.* Sed hac de re ſuo loco.

§. 27. Ut poſſibilis notio ſtatuatur, *quæ non repugnare dicuntur* prænotanda ſunt. *Ea non repugnare* dicimus, quæ ſimul eſſe poſſunt. Ex. gr. Triangulum æquilaterum, Subſtantia cogitans &c. non repugnare dicuntur, quippe triangulum cum æqualitate laterum conſiſtere poteſt: Subſtantia cum cogitatione, tanquam ejus proprietate.

§. 28. E contrario, quæ ſimul eſſe nequeunt, eo quod unum eorum alterum excludat, & ambo ſimul ſe mutuo deleant, *ea repugnare* dicuntur: ex. gr. Circulus quadratus: nam notio circuli notionem quadrati excludit, & ambæ

ſimul

ſimul ſe mutuo delent.

29. *Poſſibile* dicitur quidquid in ſui eſſentia nullam includit repugnantiam, quodque adeo concipi poteſt. Ex. gr. Mons aureus; triangulum æquilaterum. E contrario *Impoſſibile* dicitur quidquid in ſui eſſentia repugnantiam involvit, quodque adeo concipi nequit; cujusmodi eſt circulus quadratus.

30. *Poſſibilis* notio diligenter diſcriminanda eſt a notione *probabilis*. *Poſſibilitas* enim ſpectat ipſam entis naturam; *Probabilitas* vero reſpicit rationum momenta, quibus Mens ad affirmandum aliquid, vel negandum movetur; ſeu indicat ſtatum Mentis judicantis de exiſtentia, natura, proprietatibus &c. Entis. Hinc *Probabilitas* locum habet in exiſtentibus, poſſibilibus, impoſſibilibus &c.

31. Notio *Poſſibilis* poſitiva eſt; ſiſtit enim aliquid Menti contemplanti. E contrario notio *Impoſſibilis* eſt negativa, non enim ſiſtit Menti aliquod ens, ſed duo exhibet entia, quæ ſe mutuo delent, adeoque non ens, ſeu nibil.

32. Poſſibilium numerus ſaltem duplus eſt numero impoſſibilium. Impoſſibile enim coaleſcit ex duobus, vel pluribus inter ſe pugnantibus: ſi hæc ſingula ſecernamus, ſeorſim non pugnabunt, adeoque erunt ſingula ſeorſim poſſibilia. Numerus igitur poſſibilium ad minus impoſſibilium numero duplus eſt.

33. Impoſſibilium duo ſtatui ſolent genera. Alia enim ſunt *intrinſecus*, & *abſolute* talia; alia vero nonniſi *extrinſecus*, & *hypothetice*. Primi generis ſunt quotquot contradictionem in-

volvunt, de quibus §. 29., & hæc *metaphyſice* impoſſibilia quandoque etiam dicuntur. Secundi generis ſunt, quæ nullam quidem in ſui eſſentia repugnantiam continent, pugnant vero extrinſecis quibusdam hypothesibus; ex.gr. propter imbecillitatem cauſſæ producentis, propter conditiones loci, temporis, &c. aliaſque adpoſitas circumſtantias. Huc ſpectant, quæ *phyſice* impoſſibilia appellantur, quippe quæ phyſicis Mundi legibus pugnant. Ex.gr. Lunam ecclipſim pati extra oppoſitionem cum Sole, *hipotetihice* eſt impoſsibile, in hypotheſi nempe, quod Mundi curſus juxta conſuetas leges cosmologicas pergat: flammam in aere libero deorſum dirigi: Virum obliteratum, & rudem acute, & erudite de rebus difficilibus diſputare &c.

§. 34. Ad hypotheticam impoſſibilitatem adcedit, quæ *moralis* nuncupatur. Illa nimirum *moraliter impoſſibilia* vocare conſuevimus, quæ intrinſecus inſpecta, ſunt quidem poſſibilia, nonniſi tamen raro, & admodum difficulter effici queunt. Ex. gr. diuturna culpæ declinatio in mediis, & maximis periculis. Diligenter advertant Tyrones, quandoque in communi ſermone ſimpliciter impoſſibilia appellari, quæ ſolum moraliter ſunt impoſſibilia; idque potiſſimum recolant in ſacrorum Librorum lectione, ne in abſurdas incidant ſententias.

§. 35. Sunt qui aliud impoſſibilium moralium genus agnoſcunt, idque Dei reſpectu; definiunt nempe Ea eſſe, quæ in ſui natura inſpecta, ſunt quidem poſſibilia, at fieri pugnant Divinæ perfectiſſimæ Naturæ. Ex. gr. *mentiri*, in-

inquiunt, eſt quidem intrinſecus poſſibile, at Deo impoſſibile *moraliter*, quia ſummæ ejus Veracitati pugnat; ſimiliter ſe habet *innoxium æternis addicere flammis*, quod ejus Juſtitiæ opponatur. Sed hi parum penſiculate hoc impoſſibilium genus introducunt, cum revera ad impoſſibilia abſoluta ſpectent. Sane quid magis contradictorium, quam juſtitia, & injuſtitia, veritas & mendacium &c.? porro in hiſce, quæ vocantur moraliter impoſſibilia, colliſio continetur inter juſtitiam, veritatem, ſanctitatem &c., quæ in quavis Divina actione abſolute, & eſſentialiter elucere debent, & inter injuſtitiam, iniquitatem, mendacium &c., quæ eidem conſociari ponuntur. Quæ ergo *moraliter impoſſibilia* dicuntur, ſunt reapſe impoſſibilia *intrinſecus*, & *abſolute*. Merito Divus Anſelmus: *quodvis minimum inconveniens eſt Deo impoſſibile*.

§. 36. Sed juvat hic expendere quorumdam ſententiam, qui poſſibile definiunt, *omne id quod a Deo effici poteſt*. Iſtorum ſententia, nulla eſt quærenda intrinſeca poſſibilitas in Ente, ſola extrinſeca poſſibilitas ex Divinæ Potentiæ menſura eſt attendenda.

§. 37. Verum qui ita philoſophantur, ſi recte de Deo ſapiunt, nulla dari impoſſibilia Divinæ Potentiæ reſpectu ſtatuant oportet; ſecus enim, ſi aliquid per ipſum Deum impoſſibile agnoſcunt, totam ſimul evertunt Divinam Omnipotentiam. Sane, ſi poſſibile idcirco eſt poſſibile, quia a Deo effici poteſt, erit a pari impoſſibile, idcirco impoſſibile, quia a Deo effici nequit. Quare, ſi Deus omnipotens ha-

betur, nihil pro impoſſibili ſtatui poteſt. Quod ſi eſt aliquid impoſſibile, id nonniſi Divinæ Potentiæ defectu impoſſibile eſt, atque adeo Dei Potentia non infinita. Hæc perſpecte vidit Carteſius, qui propterea nihil Divinæ Potentiæ reſpectu impoſſibile eſſe affirmavit.

§. 38. At nihil eſſe in ſe, & ſui natura impoſſibile, omnem evertit humanam rationem, & ad Pyrroniſmum deflectit. Ex. gr. Triangulum rotundum, Circulus quadratus &c. quippe tam clare perſpicimus naturam, notionemque trianguli corrumpere, & excludere naturam, & notionem rotunditatis, & viciſſim, ut de hoc vel minimum dubitare, idem ſit ac humanæ rationi valedicere, & in Pyrronicorum caſtra commigrare. Dantur ergo intrinſecus impoſſibilia, ſui nempe inſpecta natura. Quare, quæ ſunt poſſibilia, hujuſmodi ſunt pariter intrinſecus, & ſui natura.

§. 39. Sed inquies: Si ſunt aliqua intrinſecus, & natura ſua impoſſibilia, hæc neque per Divinam Virtutem effici poſſunt; qui ergo erit Deus omnipotens? Sed facilis eſt reſponſio: Quod nequeat Deus efficere quæ ſunt intrinſecus impoſſibilia, id non ex imbecillitate, & virtutis defectu, ſed ex ipſius eſt impoſſibilis incapacitate, eo quod ejus componentia per ſui naturam ſe mutuo excludant. Horum componentium repugnantia cohibenda foret, atque delenda, ut poſſet, quod eſt impoſſibile, fieri; nempe delenda, vel mutanda ipſa ejus componentia. Sed modo, quod inde coaleſceret, fieret intrinſecus poſſibile, & omnino aliud ab eo, quod impoſſibile

po-

ponebatur. Sane §. 31. advertimus *Impoſſibile* non eſſe Ens, ſed Nihil, & negatio cujuslibet Entitatis. Qui ergo Divinæ Potentiæ impoſſibilia ſubtrahit, nihil ſubtrahit; eſtque Divina Potentia ſemper infinita, quia omnia & ſingula, quæ ſunt Entia, attingit.

C A P. III.

De Relationibus Entium.

§. 40. Singula Entia ne dum *abſolute*, & *intrinſecus*, qualia nempe ſunt in ſeipſis, conſiderari queunt; ſed & etiam *relative*, & *extrinſecus*, qualia nempe aliorum reſpectu concipiuntur. Quid abſolute, & intrinſecus ſint quævis Entia, negatum mortalibus noſſe; quippe intimas eorum eſſentias penitus latere, totius Philoſophiæ decurſus edocebit. Confer quæ diximus §. 19. Reſtat igitur illas Entium proprietates elucubremus, quæ ex eorum ad invicem collatione eluceſcunt. Hæ nomine *relationum* continentur. Quæ hujus ſunt loci ad tres claſſes referri poſſe videntur; ad relationes nimirum I. *ſimilitudinis*: II. *coexiſtentiæ*: III. *dependentiæ*.

A R T. I.

De Relationibus Similitudinis.

§. 41. S*Imilia* appellantur Entia, quibus una, aut plures proprietates, qualitatesve ex communi inſidere concipiuntur. Eſt ergo *Similitudo* proprietatum in abſtracto conſideratarum complexus, per quas Entia dicuntur ſimilia.

§. 42. E contrario *diſſimilia* dicuntur Entia, quibus una, vel plures proprietates, qualitatesve ex communi non ineſſe concipiuntur. Ex quo facile intelligitur, quid *diſſimilitudinis* nomine veniat.

§. 43. Quo plures ſunt proprietates, quibus Entia convenire deprehenduntur, eo major in eis elucet ſimilitudo: minor, quo ſunt pauciores. Ex. gr. ſi plures conferam figuras, quæ triangula appellantur, ſimiles ſtatim appellabo: de communi enim habent, ut tribus lateribus claudantur, tribusque angulis gaudeant. Si vero animadvertam ejuſmodi eſſe illa triangula, ut communem quoque habeant laterum rationem, proprius ſimilia vocabo.

§. 44. Ex Entium ſimilitudine rationem deſumimus, qua in determinatas claſſes illa redigamus. Cum enim hujus Mundi Entium tanta ſit multitudo, ut nequeant ſingula Mente diſtincte complecti, ea ad certas claſſes redigere conſuevimus: ita nimirum, ut quæ determinatam inter ſe ſimilitudinem habere concipimus, ad unicam revocemus claſſem, & ad alte-

teram claſſem rejiciamus, quæ aliam determinatam ſimilitudinem exhibent. Deinde, cum Entium ad eamdem claſſem rejectorum alia, atque alia intenſiorem, ſeu peculiarem inter ſe ſimilitudinem habere deprehendimus; numeroſiorem illam claſſem in alias minores redigimus: tum primam *Genus*, has *ſpecies* appellamus. Ex.gr. Infinitas figuras tribus concluſas lateribus ad unam Claſſem revocamus, & triangulorum nomine inſignimus: tum animadvertentes ex hiſce figuris quaſdam majorem inter ſe ſimilitudinem habere, puta quod alia ſingula latera inter ſe æqualia habeant, alia duo tantum, alia ſingula latera inæqualia; ampliſſimam triangulorum claſſem in tres alias minores tribuimus, quarum altera triangula æquilatera, altera iſoſcelia, altera tandem ſcalena complectatur.

§. 45. Nihil vetat Entia, quæ ſub aliquo reſpectu ſimilia ſunt, & vocantur, ſub alio diſſimilia eſſe, & appellari. Sic triangula, quæ modo pro figuris ſimilibus habui ob communem proprietatem trium laterum, & angulorum, diſſimiles mox appellabo, ſi animadvertam non æquales angulos habere, neque eamdem laterum rationem. Quare intelligitur, Entium Genera, & Species, ex cujuſque Mente conſtitui poſſe, ut ita Entium Claſſis, quæ Uni Species eſt, Alteri ſit Genus plures minores claſſes, ſeu ſpecies complectens (a).

§. 46.

(a) Equidem Entium ſimilitudo, quæ ratio eſt eccur in genera, & ſpecies ea tribuamus, ex noſtro potius

§. 46. *Perfecte ſimilia* vocamus Entia quibus ex communi, & ex æquo inſident omnes, & ſingulæ proprietates, qualitateſve abſque ullo prorſus diſcrimine.

§. 47. Jam vero acris inter philoſophos agitata eſt quæſtio, utrum *duo*, *vel plura Entia perfecte ſimilia exiſtere poſſint*, inter quæ ſcilicet nullum, ne minimum quidem, interſit diſcrimen, præter numerum. Negativam ſententiam olim Stoicos tenuiſſe ex Tullio diſcimus

---

tius concipiendi modo, quam ex eorum pendet natura. Sane ſi acutiori mentis acie polleremus, vel aliis organis ſenſoriis eſſemus præditi, plures & alias, quæ modo nos latent, in rebus detegeremus proprietates. Hinc quas hactenus ad idem genus, vel eamdem ſpeciem rejecimus, plurimum diſſimiles eſſe deprehendentes, ad aliam atque aliam revocaremus generum, & ſpecierum diſtributionem, vel illa priora genera, & ſpecies in alia inferiora & genera & ſpecies rurſus tribueremus. Id non ſatis perſpexiſſe videntur Majores noſtri, atque adeo concreta ſuis abſtractis ideis reſpondere putarunt objecta, totidemque commenti ſunt Entia, quæ realem, propriam, ſecretamque obtinerent exiſtentiam. Quæ ſententia adeo eorum animis inſedit, ut cum primum *Nominales* ad eam elevandam ſurrexere, a *Realibus*, qui eamdem pro aris, & focis tuebantur, accerrime exagitati ſunt; & eo uſque in Gallia excrevere contentiones, exarſitque livor, ut oportuerit, Regnantem ALOYSIUM XI. *Nominalium* librorum lectionem, pro bono pacis, patrocinari. Ex *Realium* hortis in philoſophiam derivarunt putida illa commenta *qualitatum occultarum*, *formarum ſubſtantialium*, & alia ſexcenta, quæ in Scholis ſemina fuere longarum quæſtionum, & gravium rixarum, quibus occupati Viri elatioris cæteroquin ingenii, ne latum quidem unguem, in ſemita ſapientiæ profecerunt.

mus, ſic enim ad Lucullum qq. Acc. l. 4. c. 26. ait: *Omnia dicis ſui generis eſſe, nihil eſſe idem, quod ſit aliud. Stoicum eſt quidem, nec admodum credibile, nullum eſſe pilum omnibus rebus talem, qualis ſit pilus alius, nullum granum. Haec refelli poſſunt, ſed pugnare nolo.* Pene emortuam opinionem ſuſcitavit Leibnitius, neque hilum decernere dubitavit, *fieri non poſſe, ut duo individua perfecte ſimilia exiſtant, ne per Divinam quidem virtutem.* At contra Leibnitii effatum, quod vulgo appellatum fuit *principium identitatis indiſcernibilium*, acriter pugnavit Clarkius. Pro oppoſitis ſententiis plures inſignes Viri Leibnitium ſequuti, aliique Clarkium, velut agmine facto, decertarunt. Quæ pro leibnitiana ſententia graviora occurrunt argumenta, fere ſunt ſequentia.

I. Si duo darentur individua, quorum neutrum ab altero ulla prorſus ratione differret, tunc illa duo individua eſſent unum, idemque, adeoque unum, idemque Ens bis exiſtere fingeretur.

II. Duorum Entium perfecte ſimilium productio Divinæ Sapientiæ repugnat; nulla enim ſufficiens adforet ratio, cur unum potius in loco A, quam B, & alterum in loco B potius, quam A poneretur.

§. 48. Prima autem ratio nihil commovebat adverſæ ſententiæ Patronos, qui reponebant, duo individua perfecte ſimilia unum, idemque fore *ſpecie*, non *numero*; diſcerni nempe non per proprietates, qualitateſve, quas ex æquo communes habere ſupponuntur, ſed per individuatio-

tionem propriam, ſeu per *hoc eſſe*, & per limitationem, qua concipitur, unum non eſſe aliud, unum in alio non contineri, & eſſe plura. Quare videtur logomachia irrepſiſſe inter celebres Viros. Vel enim duo Entia, licet in cæteris ſint perfecte ſimilia, & eadem, individuationem tamen propriam ſingula habere conſtituimus: vel cum in cæteris eadem ſint, tum etiam individuationem, ſeu *hoc eſſe*, habere communem, & eamdem. In prima hypotheſi, duo ejuſmodi Entia nullam contradictionem, adeoque nullam impoſſibilitatem continere, nemo non videt. In altera vero, luſus adeſt verborum: cum enim duo Entia communem, eamdemque individuationem habere ſtatuitur, non duo, ſed unum eſſe declaratur.

§. 49. Ad ſecundum reponimus: decere quidem Deum utpote infinite Sapientem, & infinite Bonum nihil velle, niſi convenienter rationibus ſuæ Sapientiæ, & Bonitatis. At, in hypotheſi duorum, vel plurium perfecte ſimilium, qua neutrum ipſorum potiori gaudeat ratione, eccur cæteris præferatur, integrum eſſet Deo, quodlibet eorum velle, & aliis anteponere, & ut exiſtentiam largiatur, & ut in determinato loco conſtituat. Conferatur §. 12. num. II. Quam infirmum ſit hoc Leibnitianorum argumentum, ex ipſius Leibnitii ſententia evidentiſſime perſpici poteſt. Leibnitius nimirum nullam intrinſecam impoſſibilitatem in Entibus perfecte ſimilibus agnoſcit; ſimiliter Bohemius aſſerit, abſtrahendo a principio rationis ſufficientis, in ſe poſſibile eſſe, *ut duo eadem prorſus exiſtant*.

His

His ſemel conceſſis: adverſari deinde non poſſunt, quodlibet ex Entibus exiſtentibus perfecte ſimile habere poſſe, quod, ut inquiunt, non exiſtit, neque ſcimus utrum aliquando exiſtet. Cum itaque certum ſit, ex perfecte ſimilibus Deum elegiſſe, & condidiſſe, quæ modo exiſtunt; quærimus a Leibnitianis, adfuit ne Deo hujus prælectionis ratio ſufficiens, nec ne? Nemo non videt, quorſum iſtud, quod quærimus, ſpectet.

§. 50. Ad ſimilitudinem refertur *Identitas*. Hoc vocabulum modo de pluribus, modo de una re prædicatur. Si plura Entia aliquo, vel pluribus reſpectibus ſimilia fuerint, hiſcemet reſpectibus *eadem* appellantur: & *perfecte eadem*, ſi perfecte ſimilia. Alias: Quæ ſibi invicem ſubſtitui poſſunt, quin mutatio fiat ſub uno, vel pluribus reſpectibus, hiſcemet reſpectibus *eadem* appellantur. Ex. gr. Geometra genericas triangulorum proprierates demonſtraturus, rem perinde conficiet, ſive triangulum majus, ſive minus, ſive acutangulum, ſive rectangulum, ſive obtuſangulum &c. deſcribat: hæc triangula *eadem* appellantur, quia ſibi invicem ſubſtitui poſſunt, ſalva theorematis veritate, & demonſtratione. Æquipondium æneum unum, alterum plumbeum, aureum alterum eadem ſunt ratione æquipondii; quippe ſub hoc reſpectu ſubſtitui mutuo queunt. Cum vero per ſimilitudinem Entia diſpeſcantur in Genera, & in Species §. 44. & ex eadem ſimilitudine Entium *Identitas* repetatur, facile intelligitur; *Identitatem* quoque in *ſpecificam*, & *genericam* diſpeſcendam eſſe.

§. 51.

§.51. Præter ſpecificam, & genericam identitatem, quæ plura Entia ſuo conceptu complectuntur, conſideranda occurrit Identitas *numerica*, quæ nonniſi de uno, & ſingulari Ente prædicari poteſt. Cum nempe concipimus Ens *hoc eſſe* ſuum, in aliis atque aliis temporum, locorum &c. circumſtantiis immutatum, ſeu non aliud habere, *idem* appellamus. Conſiſtit ergo identitas numerica in Unitate *τῶ hoc eſſe* Entis in aliis, atque aliis temporum, locorum &c. circumſtantiis poſiti.

§. 52. Triplex vero eſt Identitas numerica, *metaphyſica* ſcilicet, *phyſica*, & *moralis*.

I. *Identitas metaphyſica* prædicatur de Ente, in quo nulla, vel ne minima, mutatio accidit. Soli Deo iſthæc identitas convenit.

II. *Identitas phyſica* tribuitur Enti, cujus quidem qualitates mutationem ſubierunt, ſed ejus eſſentialia attributa immutata permanent. Mentibus, & Materiæ iſthæc convenit identitas.

III. *Identitas tandem moralis* conſiſtit in unitate finis, cui varia media diriguntur, tum in perſeveranti ad idem habitudine. Sic Lupus gregi ſtruens inſidias, tum Vigilum fugiens minas, idem moraliter lupus eſt; non emendatus enim fugit, & eſt redire paratus Vigilibus ſomno correptis.

§. 53. Animadvertendum eſt, vocabulum *idem* quandoque minus proprie in communi vitæ conſuetudine uſurpari. Res enim eadem perſeverare vulgo cenſetur, licet ejus loco alia, atque alia incontinenter ſuccedat, ſi tamen iſthæc ſucceſ-

ceſſio ſenſibus noſtris non pateat. Ita flumen, planta, animal *eadem* hodie dicuntur eſſe, quæ decem retro annis; id quod proprie verum eſſe nequit: *Nemo noſtrum idem eſt in ſenectute, qui fuit Juvenis: nemo eſt mane, qui fuit pridie. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more. Sen. epiſt.* 58.

§. 54. Triplici expoſitæ Identitati § 50. & 51. triplex opponitur diſtinctio, *numerica*, *ſpecifica*, & *generica*. Primam tribuimus Entibus ſub eadem ſpecie complexis; alteram Entibus ad diverſas ſpecies ſpectantibus, ſed quæ ſub eodem genere continentur; tertiam tandem Entibus ad diverſa genera relatis. Patet, adeo ſolam Identitatem numericam eſſe cujusvis diſtinctionis neſciam. Identitatem vero ſpecificam cum numerica diſtinctione; & Identitatem genericam cum diſtinctione ſpecifica optime copulari.

§. 55. Rurſus diſtinctio alia eſt *realis*, alia *formalis*. Primam tribuimus rebus, quæ in ſeipſis, & nemine adhuc cogitante ſunt diſtinctæ. Quod ſi harum una alterius ſit modus, *modalem* appellant; qualis eſt diſtinctio inter corpus, & ſuam figuram. Secundam vero prædicamus de rebus, quæ in ſeipſis quidem unum ſunt, ſed quæ diverſis mentis conceptibus complectuntur, ipſa rei natura, quæ multiplex eſt ſufficientem rationem ſubminiſtrante. Hujuſmodi eſt diſtinctio, quam ponimus intellectum inter, & libertatem Mentis. Quod ſi diverſi ejuſdem rei conceptus non ex ejus natura, ſed ex libidine intellectus abſtrahentis pendeant, hanc *virtualem*, & *rationis* diſtinctionem dicunt. Puta ſi linea A ſit alteri

B parallela, & alteri C perpendicularis; una, eademque poſitio lineæ A *virtualem*, ſeu *rationis* diſtinctionem ſubibit ex diverſis reſpectibus ad lineas B, & C.

ART. II.

De Relationibus e coëxiſtentia dependentibus.

§. 56. CUm plura ſimul exiſtere intelliguntur, ea dicuntur *coëxiſtere*; eſt proinde *coëxiſtentia* ſimultanea plurium exiſtentia.

§. 57. Si ex pluribus coëxiſtentibus Ens aliquod conſtet, Ens iſtud *compoſitum* appellatur; e contrario *ſimplex* dicitur, ſi ex pluribus coëxiſtentibus minime conflatur. Plura illa compoſitum efficientia *partes*, vel *elementa* compoſiti dicuntur.

§. 58 Triplex diſtinguitur compoſitio; *metaphyſica*, *phyſica*, & *logica*. *Metaphyſica compoſitio* eſt coëxiſtentia plurium eſſentialium ad individuam Entis alicujus eſſentiam conflandam intime conjugatorum: hoc ſenſu Mens hominis *metaphyſice* compoſita dicitur. *Compoſitio phyſica* conſiſtit in plurium realiter diſtinctorum coëxiſtentia, qua Unum totum conſtituitur; hujuſmodi ſunt Corpora. *Logica* tandem *compoſitio* eſt plurium conceptuum, quibus integra rei notio Menti ſiſtitur, conjugatio. Ad hujuſmodi compoſita revocantur quot

quot definitione, genere nempe, & differentia conſtant.

§. 59. Triplici expoſitæ compoſitioni triplex opponitur *ſimplicitas*. Nimirum *phyſice ſimplex* dicitur Ens, quod pluribus realiter diſtinctis caret; hujusmodi ex. gr. Mens eſt humana. Hanc *abſolutam ſimplicitatem* eſſe, & *veri nominis*, nemo non videt. *Metaphyſice* vero *ſimplex*, cujus eſſentia haud conſtat pluribus attributis formaliter diſtinctis: hanc ſimplicitatem Deo convenire arbitror, quidquid contra Scotistæ ſentiant. *Logice* tandem *ſimplex* dicitur, cujus conceptus non conſtat genere, & differentia: hanc ſimplicitatem de Deo prædicari poſſe plurimi autumant.

§. 60. Perdiligenter animadvertant Tyrones, phyſice Compoſita non niſi ex *phyſice*, & *abſolute* ſimplicibus elementis confieri. Sane cujusvis Compoſiti elementa vel ſunt compoſita, vel ſunt abſolute ſimplicia. Si hoc ſecundum, conſiſtit aſſerti veritas. Si primum, hujuſmodi elementa, quia compoſita, aliis elementis conflari debent. De hiſce ſecundis elementis iterum quæro, ſunt ne compoſita, an *vere*, & *abſolute* ſimplicia? quorſum evadat dilemma iſtud per ſe patet; nempe, vel progreſſum compoſitionum in infinitum comminiſci debemus, vel exiſtentiam vere, & abſolute ſimplicium elementorum confiteri. At progreſſus compoſitionum in infinitum abſque ſimplicibus elementis ſecum ipſe pugnat: in hoc quippe progreſſu occurrunt perpetuo compoſita ſine componenti-

C bus

bus (a). Quæ ſunt itaque phyſice Compoſita, ex *vere*, & *abſolute* ſimplicibus elementis conflari debent.

§. *61*. Ex quo facile deduci poteſt, quamlibet ſingularem Subſtantiam *Subjectum* eſſe *phyſice ſimplex*. Nam ſi ejuſmodi non ſit, partibus conſtabit. De hiſce partibus modo quæro, ſunt ne totidem Subſtantiæ? ſunt mera accidentia? ſunt nihil? præter hæc tria nihil video, quod reponi queat. At primum hypotheſi contradicit: quæ enim ſingularis Subſtantia ſupponitur, eſſet Aggregatum Subſtantiarum. Secundum repugnant; tum quia ſupponeretur ex accidentibus Subſtantiam conflari, quod abſurdum eſt; tum quia accidentia nequeunt exiſtere, niſi aliquod primum Subjectum, ſeu Subſtantia ipſis ſubſit §. 45. Tertium tandem per ſe patet abſurdum. Quævis itaque Subſtantia ſingularis pro Subjecto phyſice ſimplici habenda eſt.

§. *62*. At corpora in partes reſolvi quotidie videmus. Hæc ergo, quæ communi ſermone corporeæ Subſtantiæ dicuntur, non pro Subſtantiis ſunt habenda, ſed pro complexionibus totidem Subſtantiarum, quot ſunt partes, in quibus tandem reſolvi intrinſecus poſſunt.

§. 63.

(a) Si quis numerum ex aliis minoribus numeris componi adſtrueret uſque in infinitum, quin unquam ad unitates deveniatur, is, talia effutiendo, certe ſeipſum non intelligeret. Quippe ablatis unitatibus nullus numerus ſive major, ſive minor conflari poteſt. Pariter ſe habent, qui phyſice compoſitis phyſice ſimplicia denegant elementa.

§. 63. Sicut ex vere ſimplicibus conſlantur compoſita, ita ex hiſce compoſitis conſlari poſſunt alia magis compoſita; tum ex iſtis coagmentari alia tertii ordinis, & ita deinceps. Compoſitum inferioris ordinis ſimplex eſt reſpectu compoſiti ordinis altioris. Quare ſimplicitatem merito partiri poſſumus in *abſolutam* ſeu *phyſicam*, de qua §. 59., & *relativam*. Hæc prædicatur de Ente intrinſecus quidem compoſito, ſed in comparatione alterius Entis, quod compoſitionem altioris ordinis includit.

§. 64. Si partes phyſicum compoſitum coagmentantes ſint ubique in toto compoſito ſimilares, ejuſdemque naturæ, compoſitum appellatur *homogeneum*: hujuſmodi eſt aqua, ſal depuratum &c. E contrario *heterogeneum* dicitur, ſi partes diſſimilares, diverſæque naturæ in ipſo occurrant: hujuſmodi eſt planta, Animal, paries &c.

§. 65 Ex coexiſtentia plurium extra ſe poſitorum, & ita inter ſe conjugatorum, ut vel nullus, vel non ſenſibilis interjaceat hiatus, oritur *Extenſio*. Hæc itaque vel eſt *vere continua*, vel *apparenter* tantum. Rurſus extenſio, vel *concreta* eſt, quæ ſcilicet ſpectatur in corporibus, vel *abſtracta*, quam nimirum ſolo mentis conceptu complectimur, & cui nulla ſubſit materia, ſeu corporea Subſtantia.

§. 66. Dari *extenſionem realem, continuam, ſimilarem, vacuam*, ſeu *penetrabilem*, *quæ ſit commune rerum omnium veluti receptaculum*, Sententia fuit olim Democriti, Epicuri, aliorumque, qui eam *ſpatium vacuum* dixerunt. Temporibus

prope noſtris quamplurimi celebriorum Philoſophorum, Newtonus, Clarkius, Morus, Muſſchembroekius &c. eamdem opinionem tenuerunt. At in ejus determinanda natura plures miſere ſunt hallucinati. Vulgo huic reali ſpatio *interminam* extenſionem, *æternitatem*, *independentiam*, *immobilitatem* tribuerunt. Quæſtionem hanc undique perſequi, & ex integro expendere ſupervacaneum puto. Ex iis, quæ mox ſum expoſiturus patebit, hujuſmodi ſpatium penitus imaginarium eſſe, ut ita, extra imaginationis cancellos, nihil reale, & abſolutum reliquum ſit.

§. 67. Re quidem vera hujuſmodi ſpatium abſolutum, neque pro ſubſtantia, neque pro modo haberi poteſt: non pro ſubſtantia 1. quippe, cum increatum, æternum &c. dicatur, alter foret Deus: 2. quia ſubſtantia natura ſua extenſa, adeoque partibus compoſita, repugnat. Non pro modo, quippe nequeunt modi ſine aliqua ſubſtantia exiſtere. Quod ſi ſpatium iſtud pro *nihilo ſpatioſo* quis traducat, verborum ſenſum explicet, ſi quis profecto ſubeſt, rogamus. Vereor, ne hoc *ſpatioſum nihil* tandem in Spatium imaginarium abeat. Sed de ſpatio mox redibit ſermo.

§. 68. Si quis vero notionis hujuſce ſpatii (quam quidem omnes mente gerere videmur) originem, abſque ullo partium ſtudio, inveſtigare velit; eam ex conſuetudinis præjudicio derivare, facile intelliget. Sane Omnes extenſionis phænomeno ab ipſis incunabulis undique circumſepti ſumus, & occupati: Nihil, quod viſu, & tactu hactenus percepimus, exten-

ſionis

ſionis ſpecie Animam non informavit. Quare ſicuti iſthoc conſuetudinis præjudicio factum eſt, ut neque modo quidquam concipere valeamus, niſi ſub aliqua extenſionis forma; ita hæc ipſa conſuetudo in cauſa eſt, eccur realem vacuam extenſionem exiſtere putemus, quæ veluti receptaculum ſit omnium corporum. Atqui corporum extenſio, ut §. 79., & uberius in Coſmologia oſtendemus, purum, putumque phænomenon eſt ex elementorum coexiſtentia derivans. Arduum proinde minime erit, veterem opinionem ſpatii vacui realis, & abſoluti deponere, illudque poſthac pro imaginario habere.

§. *69*. Plurium collectio, quæ ſunt eadem, vel ut talia concipiuntur, *Quantitas* appellatur. Hæc plura ſi ita inter ſe conjugata concipiantur, ut nulla ubivis interruptio interſit, ſicut in extenſione, quantitas *continua* dicitur: *diſcreta* vero, ſi plura illa ſeorſim poſita intelligantur; hujuſmodi ſunt quotquot numeris deſignamus.

§. 70. Quantitati vulgo adjuncta *magni*, & *parvi* tribuuntur. Nimirum hæc adjuncta innuunt relationem unius quantitatis ad aliam notam quantitatem, quæ pro communi plurium ejuſdem ſpeciei quantitatum menſura aſſumitur. Si quantitas aſſumtam illam excedat menſuram, *magna* denominatur; *parva* e contrario, ſi ab illa deficiat. Hinc eſt, ut quæ quantitas Uni eſt *magna*, quandoque pro *parva* ab Alio habeatur; id nempe ex eo fit, quod ad diverſas illam referant menſuras. Quare, ut

aliorum de quantitatum extimatione loquentium ſenſus recte capiamus, illud in primis conſtare debet, ad quam ipſi menſuram quantitates referant; ſecus erroneam nobis comparabimus ideam, ſaltem ſemper incertam. Quæ aſſumi debet menſura, ut quantitates ejus ope explorare liceat, eſt prorſus arbitraria, & pro cujuſque lubitu ſtatui poteſt. Sed, quo facilius intelligamur, menſuram communi ſuffragio ſtatutam, ſi quæ ſit, vulgo ſequamur, vel Naturæ exemplar. Similiter adjuncta *major*, *minor*, *aequalis* relationem præ ſe ferunt; neque intelligi ullo modo poſſunt, niſi ex comparatione quantitatis, de qua illa prædicantur, ad aliam quantitatem.

§. 71. Subſtantiarum qualitates, etſi ejuſdem ſint generis, vel ſpeciei, aliæ tamen aliis præſtant, sive in noſtris excitandis ſenſationibus, ſive in aliis promovendis effectibus; hinc merito in qualitatibus ipſis quantitatem ſpectare ſolemus, & ſub hac ratione unam alterius reſpectu *intensiorem*, vel *remiſſiorem* denominamus. Quæ nempe vividiorem, vel diuturniorem ingerit ſenſationem, majoremve effectum, cæteris paribus, producit, *intensiorem* appellamus: e contrario *remiſſiorem*, quæ ſenſationem debiliorem, brevioremve, vel effectum minorem gignit.

§. 72. Vulgo in qualitatibus *gradus* conſideramus, quo ipſarum intenſitatem deſignare valeamus. Hos quidem gradus pro lubitu aſſumere licet; ſed ut ſermo noſter aliis pateat, illos æquare debemus alicui communi ſenſationi

ni, ſi quæ ſit, vel alias noto effectui. Si dicam frigiditas hujus aquæ eſt trium graduum, erit ſermo meus obſcurus, & incertus, niſi hos gradus referam ex. gr. ad totidem depreſſionis gradus, quam ſubit mercurius in thermometro.

§. 73. *Finis*, ſeu *limitis* vocabulo deſignamus defectum ulterioris, ſeu majoris entitatis in re, cui limes tribuitur. Negativa huic vocabulo ſubeſt notio. Ita *finitum* dicimus corpus, quia ultra duos, tres, &c. palmos, nihil ejusdem eſt amplius: *finitam* dicimus intelligendi vim in homine; quia ultra determinatas quaſdam cognitiones, alias, quæ quidem poſſibiles ſunt, non complectitur.

§. 74. E contrario ſi res omni careat fine, nullisque ejus *Entitas* ſit circumſcripta limitibus, *infinita* appellatur: & abſtracta notio carentiæ defectus *Infinitum*, vel *Infinitas* dicitur. Duplex autem diſtinguitur *Infinitum, extenſivum* unum, & *intenſivum* alterum. Illud dicitur de re, cujus entitas ejusmodi ſit, ut omnes, & ſingulas poſſibiles entitatum ſpecies complectatur. Iſtud vero prædicatur de re, cujus entitas nullos habeat ſuæ ſpeciei limites, ſeu quæ contineat omnem, & quamlibet ſuæ ſpeciei entitatem.

§. 75. Utrumque Infinitum quod modo expoſuimus *abſolutum* nuncupatur; aliud quippe Infinitum penes Mathematicos præſertim conſiderari ſolet, quod *relativum* dicunt. Eſt nempe *Infinitum relativum* quod limitibus reapſe quidem conſtat, ſed adeo remotis, ut nequeamus illos menti complecti: ſeu *infinite relativa* dicitur ejusmodi Entias, quæ ab alia ejusdem

ſpeciei Entitate ultra quemvis aſſignabilem vicium numerum, menſuratur. Ex. gr. Formica e Montis conſpectu conſtituta ejus terminos aſſequi nequit ſuo obtutu; Montis ergo moles infinita reputabitur a formica. Elephantis moles magnitudinem animalculi a P. Franciſco de Lanis obſervati, quovis aſſignabili vicium numero ſuperans, illius reſpectu infinita eſt. Pari ratione Telluris moles infinita putanda eſt reſpectu Elephantis: atque ideo infinities infinita reſpectu prædicti animalculi. Rurſus ſphæra, cujus diameter ſit intervallum Saturni a Sole, infinita haberi poteſt reſpectu Telluris: atque adeo infinities infinita reſpectu Elephantis, ſeu *Infinitum ſecundi ordinis*; & infinities infinities infinita reſpectu laudati primum animalculi, ſeu *Infinitum tertii ordinis*. Hujuſmodi comparationes longius provehi poſſunt: patet itaque dari plures, immo infinitos Infinitorum relativorum ordines. Porro in ſerie infinitorum Infinitum inferioris ordinis eſt infinite parvum reſpectu Infiniti ordinis ſuperioris, quod propterea appellatur *infiniteſimum*, & *infiniteſimale*. Poſſibilis proinde eſt Series Infiniteſimalium, & Infinitorum ex utraque parte in infinitum producta.

§. 76. Quantitates reales, quæ ſint abſolute infinitæ repugnant. Quantitas enim nihil eſt aliud, quam plurium, quæ ſunt eadem, collectio. Sed quacumque poſita hujuſmodi collectione, ſemper unitas adjici poteſt. Per novam vero unitatis adjectionem fit augumentum. Quantitas ergo natura ſua talis eſt, ut perpetuo au-

ge-

geri poſſit. Sed quod perpetuo augeri poteſt, perpetuo limites habet, (quippe quodvis augumentum ſupponit ſimilem defectum antecedentem, adeoque limitem); & quod perpetuo limites habet, infinitum eſſe repugnat. Quantitas ergo, quæ ſit actu infinita, repugnat. Ad rem ſapienter *Moshemius Syſtem. intel. Cud. ſect. I. cap.* 5. §. 24. *n.* 2. de numero, qui ſpecies eſt quantitatis, ſic habet. *Sciunt omnes numerum in ſe nihil eſſe, ſed ad res, & actiones referri: ex quo patet, cum de numeri infinitate oratio inſtituitur, hoc proprie quæri: rerum quarumdam, vel actionum tanta ſit multitudo, ut omnis ab ea terminus, & finis abſit? hæc ipſa vero controverſiæ explicatio oſtendit jam quodam modo, numero, qui nihil dubitant infinitatem adjudicare, eos ſine repugnantia id facere non poſſe.* Exiſtat ſane hujuſmodi quantitas, quæ ſit infinita (ſi fieri poteſt); & ab ea portionem demi concipiamus. Id fieri poſſe, ex ipſa quantitatis natura, quæ in plurium collectione conſiſtit, per ſe palam eſt. Reſidua quantitas, utut magna ea ſit, atque dicatur, non remanebit infinita; deeſt quippe pars, atque ideo limitem habet. Huic reſiduæ quantitati finitæ, adjiciamus iterum demtam portionem: quæ fiet quantitas, adhuc finita ſit oportet; quantitas enim finita finitæ quantitati addita, licet majorem, finitam tamen exhibet ſummam. Sed quantitas, quæ per demtæ portionis adjectionem emergit, illa eadem eſt, quæ prius ex hypotheſi infinita ponebatur. Eadem ergo quantitas finita ſimul erit, & infinita, quod profecto implicat.

Ita-

Itaque patet, *Infinitatem abſolutam* cuivis reali quantitati repugnare.

§. 77. Si ergo de aliqua quantitate *Infinitas* quandoque prædicatur, de *relativa*, non de *abſoluta infinitate* ſermo eſt intelligendus; quantitatem nempe illam quavis aſſignabili eſſe majorem.

§. 78. Ex dictis rurſus innoteſcit, quid de ſpatio vacuo immenſo, quod univerſale ſit rerum omnium receptaculum, ſentiendum ſit §§. 66. & ſeq. Scilicet, si quid reale foret, & abſolutum hujuſmodi ſpatium, actu daretur quantitas abſolute infinita; tum actu daretur numerus abſolute infinitus milliariorum, quæ in hoc ſpatio menſurari ſine fine poſſunt; tum longe major infinitus numerus hexempadarum, & adhuc major pedum &c. At infinita quantitas repugnat: plures numeri infiniti, quorum alii alios excedant, apertiſſime ſunt impoſſibiles. Qui ergo tot deglutiemus abſurda pro immenſo ſpatio reali, & abſoluto defendendo?

§. 79. Eadem abſurda contra eos faciunt, qui extenſionem *vere continuam* admittunt in corporum ſaltem elementis. Nam quævis, utut minima continua extenſio diviſibilis eſt in infinitum, ſicut innumeris mathematicis demonſtrationibus evinci poteſt. In quavis ergo minima hujuſmodi extenſione vere & abſolute infinitus partium numerus contineretur: adeoque si vel minima extensio vere continua reapſe exiſteret, re ipſa exiſteret numerus vere, & abſolute infinitus: id quod implicat. Nulla ergo dari poteſt extensio vere continua; & quam vul-

vulgo concipimus talem, pro phænomeno haberi debet. Sed de hac re copioſius in Cosmologia.

§. 80. Peculiaris, ac determinatus modus, quo res inſtar totius conſiderata aliis ſimul coexiſtentibus coexiſtit, dicitur ejus *locus*; *ſitus* vero appellatur peculiaris, ac determinatus modus, quo rei partes præcipuæ aliis ſimul coexiſtentibus coexiſtunt. Si de libro A quæram, ubi eſt? profecto locum flagito. Reſponſum, quod petitioni præſtabitur, erit hujuſmodi: Liber A eſt in tali bibliothecæ ordine, ſeriei primus, ſecundus &c.. Si rurſum interrogem, quo ſitu? reſpondebitur, *rectus*, *inverſus &c.* Primum reſponſum innuit determinatum modum, quo liber A aliis ſimul coexiſtentibus coexiſtit. Secundum vero reſponſum innuit determinatum modum, quo libri partes, quæ præcipue in ipſo notantur, adjacentibus coexiſtunt. Quandoque tamen in communi ſermone ſitus, æque accipitur ac locus.

§. 81. Locus, ut modo definivimus, *realis* quidem eſt, ſed *relativus*, non *abſolutus*. Philoſophi, qui pro ſpatio vacuo rerum omnium receptaculo communi pugnant, præter locum relativum, alium abſolutum agnoſcunt. Ex horum nempe ſententia locus cujuſque rei *abſolutus* eſt illa ſpatii vacui pars, quæ ab ipſa re occupatur. Nos vero qui ſpatium vacuum abſolutum pro imaginario habemus §. 67. §. 78. ſolum locum relativum admittimus, & ſpatii nomine intelligimus locorum omnium collectionem. Hoc ſenſu ſpatium reale quidem eſt,

ſed

ſed relativum, non abſolutum, ut ita ablatis rebus locatis, nihil reale amplius remaneat: ſed ſpatium, quod dein adhuc remanere intelligimus, prorſus imaginarium habemus.

§. 82. Si re pereunte alia præſto adeſt, hac dein evaneſcente alia extemplo ante conſpectum ſiſtitur, hæ res ſibi mutuo *ſuccedere* dicuntur. Eſt itaque *Succeſſio* continua ſeries rerum pereuntium, & aliarum extemplo advenientium.

§. 83. Si iſtæc ſucceſſio æquabilis, & nullibi interrupta concipiatur, (ſicut ex. gr. motus defluentis aquæ per eumdem fluminis alveum pari ſemper copia: vel motus indicis horologii), tum ad ejus æquabilem conſequutionem animum convertamus; *temporis* ideam nobis comparabimus. Eſt itaque *Tempus* rerum fluentium, ac ſibi ſuccedentium æquabilis conſequutio. Ex. gr. ſi quæram, quando id fuit, vel erit, tempus quæro. Reſponſum huic interrogationi eſt: heri; nudius tertius, decem abhinc annis &c. cras, poſt decem abhinc dies &c. En quomodo in reſponſione ad ordinem, ſeu æquabilem consequutionem in ſucceſſivis appellamus.

§. 84. Hinc ſequitur tempus *reale* quidem eſſe, ſed *relativum*, non *abſolutum*. Si nulla foret rerum ſucceſſio, aut ſaltem ſi non adverteretur, nulla temporis notio animo obverſaretur. Quare ante Mundi molitionem nullum erat tempus, & hujus initium idem fuit ac initium rerum. Atqui nihil vetat, quin ante ipſius Mundi molitionem ſucceſſivorum ſeriem imaginemur, atque adeo tempus nobis re-

repræſentemus illam præcedens : hoc tempus *imaginarium* plane eſt , & dicitur .

§.85. Spatii & Temporis ideæ ſunt plane inter ſe affines. Sicuti ex rerum coexiſtentia prima oritur ſpatii idea ; ita temporis idea ex rerum ſucceſſione proficiſcitur . Rebus coexiſtentibus ablatis nullum ſpatium reliquum eſt, ita demta rerum ſucceſſione nullum adeſt tempus . Poſitis quibuslibet, & quantiſcumque entibus ſibi coexiſtentibus , alia ſemper atque alia concipere poſſumus , quæ coexiſtere & ſibi , & illis poſſunt ; ex quo fit , ut ſpatii immenſi idea Menti occurrat : ita poſita quacumque Entium ſibi ſuccedentium ſerie , & ut vis , retro , & ante producta, magis ſemper, ac magis mente illam producere poſſumus ; ex quo fit , ut temporis infiniti ideam nobis efficiamus . Sicuti in Entibus coexiſtendi poſſibilitas æterna eſt, ita ſibi mutuo ſuccedendi ; hinc ſpatium , & tempus æque æternum , & improductum concipimus &c. Atqui , clare perſpicitur , hæc imaginaria eſſe §§. 65 75. 81.

§.86. Quod in ſerie ſuccedentium actu præſto eſt , *præſens* dicitur ; quod eſſe deſiit, *præteritum* ; quod vero aliquando aderit *futurum* nominatur .

§. 87. Ex idea , quam de tempore §. 83. expoſuimus ratio petenda eſt plurium phænomenorum , quæ nobis perpetuo occurrunt .

I. Qui eidem cogitationi fixus animo hæret, vel tranſactarum cogitationum eſt plane immemor , nullam interlapſi cæteroquin temporis conſcientiam habet . Qui ſomno conſepultus

ja-

jacet, dum evigilat, neſcit interlapſum in ſomno tempus adnotare. Horum per ſe patet explicatio.

II. E contrario, qui vivis continuo, noviſque cogitationibus ſe mutuo excipientibus percellitur, longum fluxiſſe tempus, opinatur; id quod peregrinantibus perſæpe accidit, cum in novam adveniunt regionem. Novitas nimirum, magnificentia, & frequentia objectorum ita illos percellunt, ut contra veritatem plures in ea immorati dies ipſi ſibi videantur.

III. Breviſſimum putamus tempus in diuturna ſive meditatione, ſive animi diſtractione, ſive voluptate impenſum. Nimirum 1. Mens primario ſuarum cogitationum objecto intenta, harum non tenet rationem, & perinde ſe habet, quaſi uni, eidemque cogitationi fixa permanſiſſet; nullam ſcilicet ſucceſſionem animadvertit. 2. Licet novæ continuo Menti occurrant cogitationes, hæ tamen, quia Mentis attentione deſtitutæ, nullum ſui veſtigium relinquunt; unde mens ita ſe habet, quaſi tranſactarum cogitationum immemor. 3. Mens voluptati unice intenta, vel nullis aliis permovetur ſenſationibus, vel eas ſaltem minime curat; atque ideo voluptati defixa, nullam animadvertit ſucceſſionem.

IV. E contrario in expectationis ſtatu, vel tædii, vel cujusvis doloris breve elapſum tempus admodum longum videtur. (*a*) Sane in hi-

(a) Hic illud Poetæ obtinet: *O Vita miſero longa, felici brevis*.

hiſce caſibus Animus moræ, tædii, doloris impatiens, e moleſta ſenſatione ſe ſubtrahere continuo conatur; at irritis conaminibus, moleſtia perpetuo recurrit. Adeſt itaque velut interior colluctatio, & continuus conflictus mentis, & doloris. Continuus hicce conflictus loco eſt continuæ ſucceſſionis, & longum fluxiſſe tempus, exhibet.

§. 88. Quæ cum ita ſint, continuis erroribus obnoxii eſſemus, ſi tempus ex noſtrarum cogitationum, ſenſationumque ſerie dimetiri vellemus. Hinc factum eſt, ut tutiorem regulam, certiuſque medium dimetiendi temporis ſit quæſitum. Nihil huic ſcopo opportunius viſum eſt motu æquabili: nam licet quamplurimæ sint in Mundo ſuccesſivorum ſeries, hæ tamen, quia æquabili continuitate carentia, ad rem non videntur. Atqui nullibi forſitan reperire eſt hujuſmodi motum, qui ſit vere æquabilis: conversiones attamen Solis circa Tellurem ad ſenſum ſaltem videntur æquabiles. Ipſa itaque velut ſuadente Natura, pro certa temporis menſura, ad hujuſmodi conversionum ſeriem devenimus: tum singulas conversiones in partes minores tribuimus, per motum artificialiter paratum, menſurabiles. Illas diximus *dies naturales*, harum partes *horas* denominavimus: tum ſingulas horas in minutiores, & æquales partes tribuendo, *minutorum* cudimus denominationem ad eas indicandas.

§.89. Ens pluribus continua ſerie ſibi ſuccedentibus coexiſtens, *durare* dicitur: eſt proinde *Duratio* continuata, ſeu permanens entis exiſten.

ſtentia, qua pluribus in continua ſerie ſibi ſuccedentibus coexiſtit, aut ſaltem coexiſtere per ſe aptum eſt.

§. 90. Duratio itaque non eſt quid ab ipſa re durante realiter diſtinctum, neque quid abſolutum, ſed relativum; est nempe ipsius rei coexiſtentia ad plura ſucceſsiva, sive hæc realia fuerint, sive tantum imaginaria.

§. 91. Duratio cum Tempore confundi non debet: hujus notio in æquabili rerum ſucceſsione consiſtit; illa e contrario in permanenti Entis, quod immutatum, & immobile concipitur, exiſtentia. Fingamus unicum Ens existere, & in eodem ſtatu perpetuo manens nulli obnoxium mutationi: modo nullum foret reale tempus; adeſt vero realis duratio, quæ ſat intelligi ex eo poteſt, quod Ens per ſe aptum eſt coexiſtere ſucceſsivorum ſeriei.

§. 92. Triplex diſtingui debet duratio. Vel enim interminata eſt, & infinita, principio nempe carens, & fine, & dicitur *Aeternitas*. Hæc non niſi ſoli Deo convenit. Vel duratio finita, ſeu terminata eſt ex utraque parte, nempe principio, & fine clauditur, diciturque ſimpliciter *duratio*. Hæc durationis ſpecies optime tempore menſurari poteſt. Cum enim tempus in æquabili, et continua entium ſucceſſione conſiſtat, ex quantitate ſucceſſionis, cui Ens aliquod coexiſtit, hujus durationem certo determinare licet; nec non unius durationem, cum alterius duratione, conferre. Duratio ſimplex omnibus naturalibus productionibus convenit. Tertia tandem durationis ſpecies, *Ae-*

vum

vum dicitur, eſtque illa, quæ initium quidem habet, at fine caret. Hæc ad Materiam, & Mentes ſpectat, neque poteſt tempore menſurari, etſi ejus initium tempori alicui conveniat.

ART. III.

De relationibus dependentiæ, ubi de Cauſſis.

§. 93. Res quæpiam ab alia *pendere* dicitur, ſi huic inſit quævis alterius ratio; iſthæc vero unius ad alteram relatio *dependentiæ* nomine indicatur. Ex. gr. horologii motus ab appenſo pondere, vel ab intus incluſo elaſtro *pendere* dicitur, quia pondus appenſum, vel elaſtrum rationem continent, cur in horologio motus fiat.

§. 94. Pendere unum ab altero poteſt vel *intrinſecus*, vel *extrinſecus*. Unum ab altero pendet *intrinſecus*, ſi hoc ſecundum neceſſarium ſit ad conſtituendam prioris eſſentiam: pendet vero *extrinſecus*, ſi eatenus hoc ſecundum requiratur, ut primo exiſtentiam largiatur. Ex. gr. triangulum *intrinſecus* pendet a tribus lateribus: tria enim latera ad trianguli eſſentiam conſtituendam confluunt; *extrinſecus* vero pendet a Geometra, in quo ratio continetur, cur triangulum deſcribatur.

§. 95. Quidquid alterius continet rationem, ipſius *principium* dicitur: τὸ vero alterum *principiatum* appellatur. Principium itaque aliud eſt *internum*, aliud *externum* §. præc.

§. 96. Cum ratio multiplex eſſe queat, ex.gr. cur aliquid intelligatur : cur ſit potius, quam non : cur tale, & non aliud &c., hinc multiplex quoque eſt principium. Sunt ſcilicet principia cognitionum, & Scientiarum, cujusmodi ſunt *Axiomata*; principia exiſtentiarum, quæ *Cauſſæ* dicuntur; principia eſſentiarum, atque modorum &c.. Cauſſarum notiones tantum heic expendendas ſuſcipio.

§. 97. Eſt itaque *Cauſſa* quidquid continet rationem exiſtentiæ alterius : τὸ vero alterum dicitur *effectus*, vel *cauſſatum*. Animadvertendum, notiones *Cauſſæ*, & *effectus* relativas idcirco eſſe, quia notio *Cauſſæ* conſtituitur per rationem, quam continet *effectus*; ut adeo, ſi hujusmodi ratio non attendatur, res haud appellanda ſit Cauſſa, ſaltem *materialiter* ſpectari declarandum eſt; nam cum ſpectatur illjusmodi ratio, Cauſſa *formaliter* concipi dicitur. Ratio iſthæc, abſtracte a ſuo ſubjecto conſiderata, *cauſſalitas* nuncupatur. Similiter *effectus* notio relativa eſt ad *cauſſam*, ob dependentiæ conceptum, qui in ea comprehenditur; huic ſi Mens non attendat, effectus materialiter conſiderari dicendus eſt, aut abſoluto alio vocabulo appellandus.

§. 98. Jam vero, cum ratio exiſtentiæ alicujus rei diverſo plane modo in alia contineri poſſit; hinc plura cauſſarum genera Philoſophi ſtatuerunt. Quæ in primis percenſeri ſolent, ſunt Cauſſa *efficiens*, *materialis*, *formalis*, & *finalis*.

§. 99. Cauſſa *efficiens* dicitur, quæ in ſui pro-

propria actione rationem exiſtentiæ effectus continet, ſeu quæ propria actione effectum producit. Ex. gr. Equus in rhedam contendens, vectionis eſt cauſſa efficiens: Artifex opificii, quod conſtruit.

§. 100. Atqui ſi de rebus hujus Mundi naturalibus loquamur, illud perpetuo obſervamus, effectus de novo genitos ex aliqua præexiſtenti materia conflari. Ita nimirum materiales hujus Mundi Subſtantiæ ſunt comparatæ, ut per novas, quas ſuſcipiunt modificationes, novæ plane res fiant, & modo ad unam, modo ad alteram rerum claſſem referendæ veniant. Ex. gr. ex oxygenio, & hydrogenio, & calorico fit aqua; ex terræ ſuccis planta; ex magneſia, & acido ſulphurico, ſolphatum magneſiæ efficitur, vulgo ſal anglicanum.

§. 101. Cauſſa *materialis* dicitur materia, e qua aliquid educitur. *Cauſſalitas* in eo conſiſtit, quod materia ſubjectum ſit effectus: & effectus ipſa ſit materia diverſimode modificata. Sine aqua non haberetur glacies, nec ſine oxygenio, & hydrogenio aqua &c.

§. 102. Cauſſa *formalis* dicitur illa ipſa modificatio (hæc nomine *formæ* deſignari ſolet), quæ actione efficientis cauſſæ materiæ inducta, hanc ex una rerum claſſe, ſeu ſpecie, ad aliam determinat. Cauſſalitas in eo conſiſtit, quod per ſupervenientem novam modificationem, indifferens materia novas adſumit qualitates, quibus ad aliam entium claſſem referenda venit. Ex. gr. interior illa combinatio, quam ſubeunt magneſia, & acidum ſulphuricum (*cauſſæ ma-*

teriales) vi affinitatis (*cauſſa efficiens*) dicitur Cauſſa formalis.

§. 103. Cauſſa tandem *finalis* eſt ratio, ſeu finis, qui intenditur a Cauſſa efficiente in operando, ſi quidem intelligens ſit, vel ab illa Cauſſa intelligente, quæ brutas cauſſas ordinavit.

§. 104. Hiſce cauſſis *exemplarem* addidere Platonici, & *occaſionalem* Scholaſtici. Illam appellarunt exemplar mente conceptum, ad cujus normam effectus exigitur: hanc vero, occaſionem efficienti cauſſæ oblatam, qua operatur. Ex. gr. Artifex per collem deambulando bene aptum ſaxum intuens, illud evellit, & ex eo deinde ſimulacrum cudit. Hujuſce ſimulacri cauſſa occaſionalis eſt deambulatio &c.. Artifex, cauſſa efficiens; ſaxum, cauſſa materialis; formalis cauſſa eſt figura ſaxo inducta; finalis, eſt lucrum ex opere proveniendum; exemplaris tandem, ab Artifice conceptum exemplar, ſive ſua ſponte, ſive alio edocente.

§. 105. Ex dictis patet, ſolam Cauſſam efficientem vere, & proprie cauſſam nuncupari, quippe quæ ſua efficientia effectum producit. Sed cauſſarum efficientium varias claſſes ſtatuerunt Philoſophi, quas breviter percenſebimus.

§. 106. Quæ cauſſa tum in exiſtendo, cum in operando a nulla alia cauſſa pendet, *Cauſſa prima* nuncupata eſt. Hujuſmodi eſt ſolum Deus. E contrario *Cauſſa ſecunda* dicta eſt quævis Cauſſa, quæ ſicuti exiſtentiam, ita & agendi vim a *prima* participat; quæque propterea ſicut in exiſtendo, ita & in agendo ab illa de-

pen-

pendet. Hujuſmodi ſunt omnes Cauſſæ creatæ.

§. 107. Cauſſa item alia eſt *libera*: alia vero *neceſſaria*. Hæc dicitur, quæ ſemper totis, quantis valet, viribus operatur, & in iiſdem circumſtantiis ſemper eodem modo, neque dum agit, non agere valet. Hujuſmodi ſunt quævis Cauſſæ materiales. Prima e contrario dicitur, quæ modo majori, modo minori virium parte agit, modo totis; quas pro lubitu moderatur, quæque dum agit, non agendi poteſtatem adhuc retinet Hujuſmodi ſunt Mentes humanæ.

§. 108. *Cauſſa per ſe* appellatur, quæ id agit, quod animo deſignavit, vel cui efficiendo ipſa ſua natura comparata eſt. *Per accidens* vero, quæ effectum edit præter animi intentionem, aut Naturæ inſtitutum.

§. 109. Cauſſarum aliæ dicuntur *phyſicæ*, *morales* aliæ, aliæ *inſtrumentales*. *Phyſicæ* ſunt, quæ propria actione effectum edunt, uti Pictor imaginem. *Morales*, quæ non propria actione, ſed ſuaſione, imperio, minis, promiſſis, diſpoſitione &c. vim alterius erigendo, flectendo, fovendo &c. hujus actionem exigunt, vel extorquent, vel dirigunt ad effectum intentum præſtandum. Ita, quæ moliuntur Milites ex Ducis præſcripto, Duci tanquam cauſſæ morali tribuuntur. *Inſtrumentales* Cauſſæ dicuntur, quæ omni vi propria deſtitutæ, vim ab altera acceptam modificant, effectumque producunt. Sic Enſis omni quidem vi propria deſtituitur, ſed a Milite vibratus hoſtem confodit: Enſis itaque eſt inſtrumentalis cauſſa necis.

§. 110. Si ad eumdem præſtandum effectum

plures ſimul confluant Cauſſæ, *ſociæ* appellantur, & *concauſſæ*. Expugnatæ arcis concauſſæ ſunt Dux, & quotquot Milites ſunt eam aggreſſi.

§. 111. Quandoque effectus a Cauſſa producitur, ſed pluribus intercedentibus cauſſis. Ex. gr. Sol ſuis radiis calefaciens terram, vaporum adſcenſum per atmoſphæram, promovet. In altum elati vapores in nubes concreſcunt. Nubes, vel ventorum impetu, vel actione fluidi electrici, vel alia quavis Cauſſa id fiat, in pluviam reſolvuntur. Pluvia Tellus irrigata ſuccos nutritios plantis præſtat. Ex nutritio ſucco per plantarum organa elaborato florum ortus, fructuumque genesis pendet. Sol itaque Cauſſa eſt florum, fructuumque plantarum, ſed pluribus intercedentibus cauſſis, vaporibus, nubibus, pluvia, &c. Hujuſmodi Cauſſa *remota*, *& mediata* dicitur. E contrario *proxima*, *& immediata* audit, quam inter, & effectum nulla intercedit alia: hujuſmodi in adducto exemplo eſt *phyſis* organicæ plantarum ſtructuræ insita.

§. 112. Si Cauſſa *proxima*, & *immediata* determinationem ſubeat ab intermedia præcedente, ſimiliter iſthæc ab alia, & ita porro; Cauſſæ *ſubordinatæ* dicuntur, & connexam ſeriem conſtituere. Hujus ſeriei *prima* appellatur, quæ nulli præcedenti ſubordinatur, cæteræ vero intermediæ *mediatæ* nuncupantur.

§ 113. Cauſſæ in *ſeriem ſubordinatæ* ejuſmodi ſunt vel *eſſentialiter*, vel *accidentaliter*. *Eſſentialiter* ſubordinatæ dicuntur, ſi ſubſequentium actiones a præcedentibus ſint excitæ, &

de-

determinatæ. *Accidentaliter* vero ſubordinatæ appellantur, ſi ſubſequentes a præcedentibus in ſola exiſtentia pendeant, non item in agendo.

§. 114. De Cauſſis hæc potiſſimum tenenda ſunt.

I. *Ex nihilo nihil fit*. Nullum hoc antiquius axiomate in phyſicis, atque coſmologicis facultatibus, magiſque receptum communi Philoſophorum conſenſione. Sed rectus ejus ſenſus non ab omnibus æque acceptus. Ita porro intelligant Tyrones: *Nihilum nequit eſſe nec cauſſa efficiens, nec materialis, nec formalis, neque finalis ullius rei*. Sane nihilo nullæ ſunt proprietates, alias non eſſet nihil; ſi nullæ proprietates nihilo conveniunt, nulla cauſſalitatis ſpecies tribui poteſt.

§. 115. Plures e Veteribus ita intelligendum autumabant, ut cuilibet productioni præcedens ſubjectum, tanquam materialis cauſſa, ſtatuendum eſſet. Hinc æternum Cahos, e quo omnia ortum haberent, illi imaginabantur, & creationem ex nihilo, ex nullo nempe præcedente ſubjecto, impoſſibilem decernebant. De ſenſu axiomati a nobis tributo, nihil eſt quod dubitemus, ſi indubium eſt contradictionis principium; at vero ſenſus ab hujuſmodi hominibus excogitatus nulli certo principio eſt ſuperexſtructus. Creationem ex nihilo in Coſmologia vindicabimus; illud tantummodo heic monemus, gratis ſupponere Adverſarios, omne quod fit, ex aliquo præcedente ſubjecto fieri debere. Certe motus eſt aliquid: interim continuo experimur, nos varios motus de novo in corporibus ſola

voluntate producere, qui nequeunt ex ullo præcedenti ſubjecto, tanquam ex cauſſa materiali, repeti. Ecquid ergo vetabit, Cauſſam infinita efficacitate præditam ſola voluntate ſubſtantias de nihilo condere? Certe nihil vetat, ſicuti ex noto effectuum diſcrimine par diſcrimen inter Cauſſas ponere, ita ex cognito Cauſſarum diſcrimine, ſimile diſcrimen inter effectus intereſſe poſſe, decernere. Id quod contra eos dictum ſit; qui incogitanter allato exemplo objici poſſe putant, motum eſſe qualitatem, non ſubſtantiam; cum contra ſubſtantiæ ſint illæ, de quibus quæſtio vertitur, utrum ex nihilo creari poſſint.

§.116. II. *Omnis Cauſſa debet eſſe prior ſuo effectu*. Sane Effectus exiſtentiam ſuam conſequitur ab actione Cauſsæ efficientis. Itaque effectus natura ſua eſt poſterior Cauſſa.

§.117. Duplicem diſtinguunt Philoſophi prioritatem, *naturæ* nimirum, & *temporis*. Cum Cauſsa tempore præcedit effectum, hanc dicunt prioritatem temporis. Si vero nullo prorſus tempore Cauſsa ſuum præcedit effectum; ſeu ſi numquam Cauſsa ſuo effectu ſejuncta extitit, modo nonniſi prioritate naturæ, ſeu ordinis gaudet. Hæc naturæ prioritas in eo conſiſtit; quod effectus ſuam rationem, ſuumque principium e cauſsa petens, ſine cauſsa exiſtentiam conſequi nequit: deinde in noſtrarum idearum ordine, cauſſæ conceptus notionem effectus neceſſario antecedit.

§. 118. III. *Nihil poteſt eſſe cauſſa efficiens ſui ipſius*. Revera, cui tribuemus cauſsalitatem,

rei non adhuc productæ, vel rei jam effectæ? Non primum, quippe res non adhuc exiſtens nihil agere poteſt §. 114. Non ſecundum, cauſſalitas quippe præcedere debet, non ſubſequi effectum §. 116. Quare Nihil poteſt eſſe cauſa efficiens ſui ipſius.

§. 119. IV. *Nequeunt duo Entia ſibi mutuo eſſe cauſſæ efficientes*. Sit primo A cauſa efficiens B. A ergo eſt prius, B poſterius. §. 116. Sit modo B cauſa efficiens A. Erit A poſterius, B anterius; idem ergo A erit anterius ſimul, & poſterius B, id quod implicat. Igitur &c.

§. 120. V. *Quidquid eſt in effectu, debet eſſe in cauſſa, vel formaliter, vel eminenter*. Contineri *formaliter* una res in altera dicitur, ſi illa in hac continetur ſecundum ſuam concretam eſſentiam: ita formaliter contineri in ſemine dicimus futuræ plantæ rudimenta; ſericum in bombycis viſceribus &c. *Eminenter* vero, ſeu *virtualiter*, ſi nonniſi virtus, & potentia ſufficiens alteri inſit condendi aliam. Ecquis ex. gr. dixerit motum *formaliter* in Anima, quæ illum ſua voluntate producit, contineri? equidem ſola virtus, & potentia motum producendi ei ineſt. Hiſce poſitis; ſi aliquid eſt in effectu, quod non ſit in Cauſſa, τὸ aliquid vel eſt ex alia cauſſa, vel ex nihilo. Hoc ſecundum repugnat §. 114. Si primum, effectus ille erit non ex unica, ſed ex duabus cauſſis ſociis, & conſiſtit veritas effati.

§. 121. VI. *Series cauſſarum ſubordinatarum, quæcumque ea ſit, abſque ulla Cauſſa prima, & independenti omnino repugnat, etſi in infinitum*

pro-

producta concipi velit. In hac infinita ſerie quævis Cauſſa eſt effectus præcedentis. Qui ergo ſtatuit infinitam ſeriem cauſſarum ſubordinatarum abſque ulla prima Cauſſa, & independente, ponit infinitum numerum effectuum + 1 abſque ulla cauſſa; id quod evidentiſſime pugnat.

§. 122. Sed lubet Tyronibus, rerum mathematicarum ſtudioſis, id ipſum alias exponere. In ſerie cauſſarum ſubordinatarum, quælibet Cauſſa determinatur a præcedente ſive ad exiſtendum, ſive ad operandum §§. 112. 113. Nulla ergo cauſſa continet in ſe ipſa ſufficientem rationem ſuæ exiſtentiæ, vel actionis: adeoque nulla cauſſa ſufficientem, & adæquatam continet rationem cauſſæ poſterioris. Itaque prædicta ſeries in infinitum protenſa, eſt ſeries cauſſarum ejus naturæ, & conditionis, ut in earum ſingulis merum adſit nihil in ordine ad determinatam exiſtentiam cauſſarum poſteriorum. Summa autem omnium nihilorum, utcumque numero infinitorum eſt nihil. Jamdiu enim conſtitit, illud Guidonis Grandi, ut ut ſummi Geometræ, paralogiſmum fuiſſe, quo, ex expreſſione ſeriei parallelæ ortæ per diviſionem $\frac{1}{1+1}$, intulit, ſummam infinitorum zero eſſe revera æqualem dimidio. Series ergo illa, ut ut infinita, omni caret ſufficienti, & adæquata ratione ad exiſtendum, niſi ab Ente extra ipſam poſito, æterno, & a quovis alio independenti ad exiſtentiam determinetur.

§. 123. Contra Atheos hoc poſitum eſt theorema delirantes, omnia in Mundo pendere ab infinita cauſſarum contingentium ſerie per im-

men-

menſam æternitatem producta; quaſi nempe, quo longius, remotiuſque productam imaginemur hanc commentitiam. ſeriem, minus opus ſit Cauſſa prima, & independente. At contrarium ſana exigit Ratio. Rem exemplo illuſtrabimus, quo Atheorum dementia magis pateat. Supponamus ferream catenam ab alto derivantem horizonti normalem, quam, ſi lubet, in infinitum productam imaginemur. Contendat vero aliquis, catenam iſtam, immane quantum ponderantem! nullo fulcro indigere, ne deorſum tota ruat; ſed hujuſmodi poſitionem perpetuo ex ſeipſa ſervare poſſe, hoc herculeo argumento. Primus, & infimus catenæ annulus, ne ruat, detinetur a ſecundo, nec ullo indiget fulcro; hic ſecundus, quin & ipſe fulcro indigeat, detinetur a tertio, & ita deinceps in infinitum. Igitur tota catena, quin indigeat fulcro extra ipſam poſito, perſeverare ex ſe ſola poteſt in illa poſitione. Profecto ita delirantem, non adductis rationibus, ſed præſtito quam citiſſime elleboro, curare ſatageremus. En typus delirantium pariter Atheorum, qui ſeriem cauſſarum ſubordinatarum infinitam abſque ulla prima Cauſsa, & independente comminiſcuntur.

§. 124. VII. *Una eademque res poteſt ſimul eſſe Cauſſa finalis, & effectus.* Effectus nimirum non adhuc obtentus, ſed mente præcognitus, & volitus, ipſam movet ad agendum, ut effectum conſequatur. *Finis*, inquiebant Scholaſtici, *in intentione prior, in exequutione poſterior.* Ex. gr. Æger, ut ſanitatem conſequatur, pharmacis utitur ab amico Medico præſcriptis. Heic ſanitas eſt finis

finis, qui in pharmacorum uſu intenditur, & quam poſthac æger conſequetur; eadem vero ſanitas eſt Cauſsa ægrum movens, ac determinans ad pharmaca adhibenda contra ſuaſiones guſtus, & œconomiæ. Inſcite itaque Spinoza decrevit *Eth. p. p. app. ad prop. 36. Omnes cauſſas finales, nihil, niſi humana eſſe commenta: hanc de fine doctrinam naturam omnem evertere; nam id, quod revera cauſſa eſt, ut effectum conſiderat, & contra: deinde id, quod natura prius eſt, facit poſterius*. Nempe non diſtinxit Spinoza inter effectum in actuali ſtatu conſtitutum, & eumdem in ſtatu ideali, ſeu in intelligentia Cauſsæ efficientis comprehenſum.

§. 125. Priuſquam hinc abeamus, celeberrimam quæſtionem, de qua acriter Philoſophi jam inde a Carteſii tempore decertarunt, paucis expendere juvat. *Quæ vulgo dicuntur cauſſæ ſecundæ, ſeu cauſſæ creatæ, ſunt ne revera cauſſæ efficientes? gaudent ne inſitis viribus, queis agere valeant, & agant? An ne ſunt tantum occaſiones, cur Deus per ipſas, & in ipſis immediate agat, eoſque moliatur effectus, quos a viribus creatarum cauſſarum promanare putamus?*

§. 126. Primum negant Carteſiani, ſtatuuntque creatas cauſsas omni prorſus agendi vi deſtitutas; nihil adeo ipſas agere, ſed Deum omnia operari ſecundum generales a ſe conſtitutas leges pro variis illarum occaſionibus, nempe juxta illasmet leges, quas vulgo naturæ dicimus. Impingat globus A in alium B; hic protrudetur, ille vero vel lentius perget, vel quieſcet, vel reflectetur juxta Phyſicæ leges. Ex

Car-

Carteſianorum ſententia truditur globus B non motu, &. actione irruentis globi A, ſed immediate a Deo, qui, juxta generales a ſe ſancitas leges, pro occaſione irruentis globi A, alium B propellit: tum idem globus A occurrens in globum B, etiam immediata Dei actione retardatur, ad quietem adigitur, vel reflectitur; non ex reactione, vel elaſticitate corporis percuſſi. Pariter non ignis pyrio pulveri applicatus, illum in flammam agit; ſed ex occaſione admoti ignis, Deus pyrium pulverem inflammat; tum ex occaſione conflagrantis pulveris, pilam e tormento expellit, & per parabolicam ſemitam ducit; qua in parietes impingente, iterum hac occaſione ipſe Deus parietes disjicit; rurſus, ex occaſione corruentium parietum, ſubſtantem hominem perimit. Ita de cæteris quibuſcumque aliis. Neque corpus humanum aliquid in animam agit, neque anima in corpus; Deus ſingulas in anima adfectiones gignit, quas e corpore prodire putamus, ſingulosque motus in corpore juxta animæ voluntatem. Non moror Malebranchii opinionem ulterius pergentis, de qua alibi opportunius.

§. 127. Carteſianorum ſententiam longius, quam par erat, proſequuti ſumus, quippe illam expoſuiſse, confutaſse reor. Sane communem illa hominum ſenſum, rationemque evertit. Tu ne, inquiet Carteſianus, præjudicia pro ratione obtrudis? Perbelle! ſi tam conſtantem, univerſalemque hominum, tum philoſophantium, cum naturali rationis ductu judicantium, ſententiam, præjudicii, & falſitatis arguere velimus, o feli-

lices Carteſiani, queis unice bonus ſenſus, & recta ratio ceſſit! Deinde, ſi vel tantisper Adverſariis demus ſententiam, quam tuentur, quantum ab *Idealiſmo* (putidùm profecto delirantium ſomnium) diſtabimus? Unde corporum noſtrorum, totiuſque Mundi exiſtentiam ultra reſciemus? Sane in hoc ſyſtemate, cum nihil inter ſe agant entia creata, ſed omnia agat Deus, pronum erit ſupponere, nihil exiſtere aliud præter me, & ipſum Deum. (*a*)

§. 128.

(*a*) Corporei Mundi exiſtentiam non aliunde, quam ex Mentis noſtræ ſenſationibus noſcimus. Si has ſenſationes non ex actione circumſtantium, & prementium corporum, ſed ex Dei immediata actione fieri ponamus, nullum dein ſupererit argumentum, quo contra Idealiſtas Mundi exiſtentiam vindicemus. Quod enim Occaſionaliſtæ ſubdunt, ſenſationes ex occaſione circumſtantium corporum a Deo Mentibus imprimi, quas numquam inferret nullis circumexiſtentibus corporibus, nimis leve eſt, & hypotheticum, e quo Idealiſta facili negotio ſe expediet; ita enim regerere poteſt. *Unde reſciviſti corpora extare? tum, juxta horum circumſtantium varias occaſiones, Mentem varias ex actione Dei pati ſenſationes? Equidem de noſtris ſenſationibus nulli dubitamus, ſed inquirenda tantum occurrit, quænam ſit noſtrarum ſenſationum cauſſa. Has ego ex immediata Dei actione repeto, quin quidpiam aliud exiſtere agnoſcam; quippe illum ſat potentem, & ſapientem eſſe intelligo, qui idealis mundi ſpectaculum & ſciat, & valeat menti meæ exhibere. Profecto nec hilum præſtat, aliquem realem mundum comminiſci, qui & nihil ad meas ſenſationes conferre poteſt, & quo nullimode Deus indiget, quominus idealem mundum menti meæ repræſentet. Quare ſi noſti, haud Deum decere, entia multiplicare ſine neceſſitate, ut ſuos adſequatur fines; præclare me gero, dum nihil præter me, & ipſum Deum extare ſentio.* Neque ju-

§. 128. Sed quibus tandem argumentis Carteſiani hanc ſuam conficere rentur opinationem? Duo præcipua adferam, nam cætera ſtomachum cient. I. Nequit omnino intelligi quomodo entia creata in ſe agant, quidve ſit illud, quod ex uno tranſit in aliud. II. In idea ſpiritus non elucet profecto conceptus vis corporum motricis.

§. 129. I. At in primo uberiorem Logicæ peritiam in Adverſariis eſt, quod deſideres. Nem-

juvabit Occaſionaliſtam reponere, idealiſmum cum Divina Bonitate pugnare; nempe in ea ſententia Deus grande Mundi ſpectaculum Menti tam vivide repræſentando, ut omnes proclives ſimus, & quaſi cogamur ad ſimilis realis mundi exiſtentiam adſtruendam, nos profecto illuderet, ſi nullus exiſteret mundus: Non, inquam, id Occaſionaliſtas juvat; ita enim merito reſumere poteſt Idealiſta, ſuamque cauſſam conficere. *Pape! Et tu adeo vecors, & audax, qui Deo tuos errores, ac deliria adjudicas! eccur judicium tuum, me tibi exemplum præbente, haud cohibes? certe quas vividas ſenſationes te pati aſſeveras, & corporum exiſtentiam, ut dicis, fateri quaſi jubentes, & ego patior; illud reliquum eſt, ut ratione teipſum cohibeas, & ab errore ſerves immunem, ſicuti ratione didiciſti & alios plurimos profligare: ut ecce, te tua vi brachium, ac totum movere corpus, hujus mundi corpora invicem inter ſe agere, colores corporibus inhærere &c. Si hos errores ſapienter rejicere ſategiſti, neque unquam Deo adjudicandos agnoviſti, quippe ratione duce profligantur, ita pariter eadem duce ratione veterem dediſce errorem, & præjudicatam expunge ſententiam; realem nempe mundum exiſtere: tuæque oſcitationi, ac inſcitiæ tribuas, non Deo, quod in eam dementiam deſcendiſti:* Itaque cum adeo facilis ſit, ac brevis ab Occaſionaliſmo ad Idealiſmum deſcenſus, eadem cenſura ambæ ſignandæ ſunt ſententiæ, ſcilicet inter furentium deliramenta reponendæ.

Nempe hæc duo ſecernenda erant: ineſt ne Entibus creatis vis activa? 2. quomodo iſthæc ſe exerit? Ignorantia hujus ſecundi profecto non evincit impoſſibilitatem, neque defectum activæ vis in Entibus creatis. Numne cætera, quæ illis inſunt, quomodo inſint, quidve intrinſecus ſint, minus ignoramus? Atqui neque intelligimus quid ſit Dei actio in creaturis, neque creationem rerum ex nihilo: dicemus ergo, Deum quoque nihil agere, nihil creare? Hæc ſi falſa ipſis Carteſianis merito habentur, æquo jure falſam ipſorum ſententiam & nos reputamus. Sane, ſi præter Deum alia entia exiſtere non repugnat, quæ tamen ab ipſo ſint dependentia, & veluti præcario exiſtentia; eccur repugnabit, præter Deum puriſſimum, & ſimpliciſſimum actum, alia exiſtere Entia activa, quæ tamen ab illo ſint activitate prædita? Immo id quam maxime commendat Divinam Potentiam, Sapientiam, Bonitatem. O hominum ingenia cum recogito! Athei rerum creationem ex nihilo negant, quia non intelligunt, quî fieri queat: Carteſiani contra rebus hujus Mundi activas denegant vires, quia claram earum non obtinent ideam. Quorum prævalebit opinio? Neutra profecto: utraque enim falſo innititur principio. *Quæ clare non intelligimus, pro falſis, & impoſſibilibus ſunt habenda.*

II. Secundum nimis eſt puerile. Unde didicerunt Carteſiani completam ſibi comparaſse ſpiritus ideam? Quam omnes habemus ideam ſpiritus, ea quidem non includit in ſuo conceptu primario vim corporum motricem; at ſimul

fate-

fatemur imperfectam nimis eſse hujuſmodi notionem. Si Adverſarii meliorem, & completam ſibi compararunt, edoceant unde reſcierunt, ut & nos ediſcere valeamus.

C A P. IV.

De quibusdam relationibus compoſitis.

§. 130. Quædam ſunt relationes, quæ cum e pluribus, quas hactenus expoſuimus, uno conceptu complexis, emergant, *compoſitæ* dicuntur. Earum notiones, quippe quæ frequenter in tota Philoſophia occurrunt, ſeorſim heic exponere, operæ pretium duxi. Sunt autem hujusmodi *Ordo*, *Bonitas*, *Perfectio*, *Pulchritudo*.

§. 131. Plurium Entium ſive coëxiſtentium, ſive ſe conſequentium ita connexa ſeries, ut ubique eadem ratio deprehendatur in modo, quo juxta ſe collocantur, aut ſe invicem excipiunt, *ordinata* dicitur; ejuſque abſtractum appellatur *Ordo*. Conſiſtit itaque *Ordo* in ſimilitudine, qua plura Entia juxta ſe collocantur, aut ſe conſequuntur. Si ſecus illa ſe habeant, ita nempe ſint conſtituta, ut nulla in eis eluceat ſimilitudo ſive in coëxiſtendo, ſive in ſibi invicem ſuccedendo, *inordinata*, ſeu *confuſa* dicuntur. Exemplum ſumatis ex bibliotheca.

§. 132. Et quoniam ſimilitudo, quam ordinem dicimus, Entibus præter eſſentiam convenit, ex aliqua profecto ratione pendere debet.

Ratio iſthæc *Principium ordinis* dicitur; & propoſitio enuncians communem illam rationem, ſeu ſimilitudinem, qua Entia coëxiſtere ſibi debent, vel ſe conſequi conformiter huic principio, *Regula ordinis* appellatur. Ex. gr. Principium ordinis in bibliotheca eſt: *Libros ad comparandam eruditionem aptos in promptu habere*. Regula vero ordinis eſt hujuſmodi: *Libri ejuſdem argumenti ſimul componantur*.

§. 133. Atqui communis illa ratio, qua plura entia juxta ſe collocari debent, vel ſe conſequi, ut ordo in eis eluceat, poteſt eſſe ſimplex, vel compoſita. Hinc vel ſimplex, vel compoſita eſt ordinis regula, & ejuſmodi pariter Ordo ipſe. In præcedenti exemplo ſimplex pro bibliotheca eſt ordo, tum ordinis regula. Compoſitus vero erit, ſi iſthæc compoſita regula obſervetur: *Libri ejuſdem argumenti, linguæ, & ætatis ſimul collocentur*.

§. 134. Quo plures ſunt ordinis regulæ, major & concinnior ordo effloreſcit: major quippe in rebus ordinatis elucet ſimilitudo: & minuitur e contrario diſparium relationum numerus, quibus Mens gravata tædio afficitur.

§. 135. In omnibus rebus, cum ſenſibilibus, tum iis, quæ ſolo Mentis conceptu, vel imaginatione complectimur (cujuſmodi ex. gr. ſunt compoſitiones poëticæ, philoſophicæ, muſicæ &c.), Ordo quam maxime commendandus venit. Quod facile eſt intelligere I. quia rerum diſpares relationes habentium multitudine Mens obruitur, ſibique deficiens nequit ſingulas ſi-

mul

mul contemplari, & diſtincte complecti; ſaltem niſi magno adhibito conamine, quod moleſtiam, ac tædium creat: II. quippe difficile eſt, quo res ſingulæ tendant, perſpicere, quidve ſimul præſtare valeant, quodve emolumentum, & commodum ex eis capere liceat. E contrario ubi ordo eſt in rebus, has ad certas claſſes jam redactas facile & diſtincte mente complectimur, & quo ſpectant, primo veluti obtutu, perſpicimus; nec non quid nobis præſtare valent, ſponte ſua exhibere videntur, quin attentius, & laborioſius inveſtigemus.

§. 136. Quidquid ab ordinis regula recedit *defectus* appellatur; qui erit *verus* ſi vitari poteſt, *apparens* tantum ſi nequit. Ita in adducto §. 133. exemplo compoſiti in bibliotheca ordinis, apparens defectus occurrere poteſt ex aliqua regularum ordinis colliſione; fieri enim poteſt, ut libri ejuſdem ætatis non ſint ejuſdem idiomatis, & contra: ut adeo nequeat utraque regula ex integro ſervari.

§. 137. Vocabulum *Bonitas* duplici uſurpari ſolet ſignificatione: quandoque enim pro *abſoluta*, alias pro *relativa* notione indicanda adhibetur. Sub *Bonitatis abſolutæ* nomine venit quidquid reale in quovis Ente concipitur; ejus nempe eſſentia, ſingulæquæ proprietates. Huic opponitur *Malum abſolutum*, quod conſiſtit in deficientia cujuſvis realitatis in Ente: id quod, ut patet, nunquam fieri poteſt. Ipſe conceptus entis, eſt conceptus alicujus realitatis: nullum Ens ſua eſſentia expoliari unquam poteſt.

Sub hoc itaque ſenſu ſingulis Entibus aliqua bonitas convenit.

§. 138. *Bonitas relativa* iis tantum tribuitur Entibus, quæ aliorum abſolutam bonitatem conſervant, & perficiunt, vel conſervare, & perficere poſſunt, ſive *immediate*, ſive *mediate*. E contrario *Malum relativum* dicitur quidquid abſolutam Entis alicujus bonitatem minuit, corrumpit; vel minuere, & corrumpere poteſt, ſive *immediate*, ſive *mediate*. Ex. gr. Nobis bene valentibus bonum eſſe cibum dicimus: bonas fruges, e quibus cibus præparatur: tum bonus dicitur ager, qui fruges præſtat: bonæ arbores, e quibus vel fructus capimus, vel vitæ commoda paramus: bona cultura, cujus ope uberem frugum copiam colligimus: bona inſtrumenta, quibus agrorum cultus perficitur &c.

§. 139. *Bona* etiam in communi vitæ conſuetudine appellare ſolemus, quæ gratum in animo ſenſum, ſcilicet voluptatem ingenerant; vel avertunt dolorem: ſive immediate, ſive mediate hæc præſtare valeant. Ita bonam dicimus muſicam, quia Animum curis levat, excitat, ac dulcedine perfundit: tum bona dicimus muſices inſtrumenta, bonas fides &c. E contrario *mala* appellamus, quæ tædium, moleſtiamve cient, vel voluptatem avertunt.

§. 140. Equidem *relativæ Bonitatis* notionem ex gratis animi ſenſationibus, quas objecta externa ingerunt, primum nobis comparavimus. At deinde experientiæ, & rationis ope accuratiorem illam cudimus, quam §. 138 expoſuimus. Sane nequeunt gratæ vel moleſtæ ſenſatio-

tiones tuta haberi indicia de vera objectorum bonitate: ſit enim perſæpe, quod voluptate Animus perfundatur a rebus, quæ nos deteriores poſthac efficiunt, animi, corporiſque vires hebetant, & proſternunt, tum futurorum dolorum augent ſummam: ſicuti e contrario plura ſunt aliquem utique dolorem primo occurſu adferentia, ſed quæ reapſe nos perficiunt, & in eo ſtatu dein conſtituunt, ut ſummam poſthac futurarum voluptatum majorem capiamus, & minimam dolorum. Ecquis porro ambiget priora pro veris malis habenda eſſe, etſi bonorum ſpeciem mentiantur; ſicuti hæc poſteriora pro realibus bonis, etſi mali ſpecie deterreant? *Quidquam ne bonum eſt, quod non eum, qui poſſidet, meliorem facit? Cic. parad. I.*

§. 141. Ad relativam bonitatem refertur, quæ dicitur *Bonitas moralis*; eſt quippe convenientia liberarum actionum legis præſcripto. Huic opponitur *Malitia moralis*, quæ conſiſtit in difformitate actionum liberarum a præſcripto legis.

§. 142. Patet hinc, ſingulas humanas actiones, neque bonas, neque malas morali ſenſu nuncupandas fore, niſi aliqua eſſet lex ſuper eis conſtituta. Quid ergo ſibi volunt Scholaſtici effato illo: *Sunt quædam ideo mala, quia prohibita; & quædam ideo prohibita, quia mala?* Nempe ſecundæ partis ſenſus ad leges, quæ poſitivæ dicuntur, referri debet hoc modo: quædam hominum actiones malæ, quippe quia legi naturæ, æternæ, & ipſi Mundo inſitæ, ſunt abſonæ, ſunt idcirco poſitivis etiam legibus ve-

titæ. Niſi ita intelligant ipſi Scholaſtici ſuum effatum, vereor ne ſeipſos intelligant.

§. 143. Enti tribui poteſt *Perfectio* sub duplici reſpectu, *abſolute* nempe, & *relative*; ex quo duplex diſtinguitur perfectio *abſoluta* altera, altera *relativa*. Perfectio *abſoluta*, quæ alias *ontologica* dicitur, eadem eſt ac bonitas abſoluta de qua §. 137., ſed quæ tamen ſummum inter ſimiles gradum obtinere videtur. Hoc ſenſu dicimus hæc ſindon perfectam habet albedinem: hoc Aurum perfectum eſt. Patet adeo hanc ipſam perfectionem, quam abſolutam dicimus, ex aliqua relatione conſtare.

§. 144. Perfectio *relativa*, quæ alias *phyſica* audit, dicitur de re metaphyſice, ſeu cogitatione ſaltem compoſita, quæ ita ſit conſtituta, ut ſingulæ ejus partes ad eumdem præſtitutum finem conſpirent, omneſque ſimul conſequantur. Tria ergo requiruntur in Ente, cui *relativa* perfectio adjudicanda venit. I. Plura ſaltem cogitatione diſtincta. II. Unitas finis (hic *principium perfectionis* audit), quem ſingula reſpiciant. III. Singulorum conſenſus, & amica veluti conſpiratio. Ita in horologio, quod perfectum dicimus, hæc tria adſunt. I. principium perfectionis, ſeu unitas finis, qui conſiſtit in adcurata horarum oſtenſione. II. plura diſtincta, & quidem realiter (quot nempe ſunt in eo rotulæ, elateres, axiculi &c.): III. adeſt ſingulorum conſenſus, & omnium ſufficientia ad finem: ita nimirum ſingulæ horologii partes ſunt inter ſe conjugatæ, ut continuo nexu ſingulæ ſuam conferant ſymbolam ad

indicis motum promovendum.

§. 145. Propoſitio enuncians legem, rationemque, qua plura conſpirare debent, ut communem adſequi finem valeant, *regula perfectionis* audit. Quum vero finis conſequendus multiplex quandoque eſſe queat; hinc plures ſimul ſervandæ occurrent perfectionis regulæ. Ex quo intelligitur, Entis perfectionem *ſimplicem* eſse poſſe, & *compositam*. Ita multiplex horologio inerit perfectio, ſeu perfectio ex aliis compoſita, ſi ita fuerit conſtitutum, ut *horas, minuta, diverſaſque Lunæ phaſes pro quovis tempore adcurate indicet*.

§. 146. Jam vero, quum plures perfectionis regulæ ſimul ſervandæ occurrunt, fieri quandoque poteſt, ut una alteri adverſetur; ut nempe lex conſenſus, & conſpirationis, quam una regula poſtulat, per aliam ſit vetita. Heic ergo perfectionum aderit colliſio. Quoties id occurret, utriuſque regulæ temperatione quadam utendum eſt, quam ſi non patiatur rei natura, deveniendum eſt ad aliquam alterutrius ex regulis exceptionem: ſervanda vero, quæ nobilior, potiorque cæteris excellit. Ex. gr. pro tubo optico duæ occurrunt perfectionum regulæ; altera quæ præſcribit ejuſmodi lentium apparatum, ut objecta aucta conſpiciantur; altera, ut clara itidem, & diſtincta adpareant. Utriuſque regulæ executio, nonniſi temperatione quadam adhibita, obtineri poteſt. Nam ſi maximum quæras augmentum, id claritati obſtabit, quæ ab altera regula præſcribitur: ſi maximam claritatem poſtules, hæc augmentum, quod ab alte-

ra exigitur, avertet. Item: pro perfecta in Magiſtratu judicandi forma, duæ præſertim occurrunt regulæ: *Nemo innocens condemnandus*: *Singuli ex adlatis, & probatis ſunt dijudicandi*. Jam vero fieri poteſt, ut ex adlatis, & probatis, qui vere innocens eſt, reus adpareat. Quare ex ſecunda regula innocens condemnabitur; id quod contradicit primæ regulæ: neque hic temperationi regularum locus eſſe poſſe videtur. Quid ergo? Exceptio facienda eſt ab una, vel altera regula. Adnitendum vero eſt, ut præſtantior, & opportunior ſervetur.

§. 147. Me non monente adparet, cum plurium Entium relativæ perfectiones ad invicem comparantur, præſtantiorem dijudicandam eſſe I. ex nobilitate, & eminentia finis, qui principium perfectionis eſt; II. ex accurata, & promptiori ejusdem finis conſecutione. III. Ex Entium ad finem ſtatutum pergentium ſimplicitate. Quod enim hoc tertium ſpectat, nemo non intelligit, Ens e pluribus nimis compoſitum, eo facilius per alicujus partis diſſolutionem a toto, corrumpi, & depravari poſſe. Ita ex. gr. ex duabus machinis, quæ eumdem præſtant effectum, ubi cætera ſint paria, perfectior illa habenda eſt, quæ ſimplicior; minus perfecta, quæ pluribus conſtans partibus, complicatiorem habet conſtructionem, & facilius diſſolvi poteſt.

§. 148. *Pulchra* dicuntur, quæ gratam, jucundamque Menti exhibent repræſentationem. Jam vero teſtante experientia illa objecta jucundam Menti ſiſtunt repræſentationem, quæ

ordine conſtant, & perfectione. *Pulchritudo* itaque ejuſmodi ordine & perfectione continetur, ut gratam animo repræſentationem ingerant (a).

§. 149. Triplicem porro pulchritudinem Philoſophi diſpeſcunt: alia quippe *metaphyſice* pulchra, alia *phyſice*, alia tandem *moraliter* dicunt. *Metaphysice* pulchra appellant Entia, quæ ſolo intellectu, & imaginatione complectimur: hoc ſenſu pulchram dicimus fabulam, orationem &c. *Physice* pulchra audiunt, quæ ſenſus afficiunt: ita pulchram dicimus picturam, ſimulacrum, architectonicum opus &c. *Moraliter* tandem pulchra appellantur liberæ quævis actiones, queis moralis juſtitia, & honeſtas elucet.

§. 150. Tum ex Animi ſtatu, cum ex actuali corporis temperatione pendet quandoque ſicuti repræſentationis modus, ita & ejus jucunditas. Quare fieri poteſt, ut pulchra quandoque cenſeamus, quæ ejuſmodi ab aliis non habentur, vel quæ nullam revera pulchritudinis notam habent. Hinc de peculiaris objecti pulchritudine diſcrepantes occurrere ſolent ſententiæ, immo & quæſtiones.

Finis Ontoſophiæ.

IN

(a) Equidem ſi acutius perluſtrare velimus undenam fiat, ut gratam, jucundamque ſenſationem a quibusdam objectis excipiamus; contra vero ab aliis moleſtam, & diſplicentem; comperiemus priora illa ejus eſse naturæ, ut naturales ſive corporis, ſive animi vires excitent, foveant, exerceant; iſtæc vero poſteriora hebetent, fatigent, in tranſverſum agant. Jam vero illa præſertim, quæ ordine conſtant, & perfectione ejusmodi ſunt, ut & repræſentationem exhibeant, viresque excitent, & exerceant. Quare pulchritudo in rerum præcipue ordine, & perfectione contineri videtur.

INSTITUTIONUM METHAPHYSICARUM

PARS ALTERA.

IN COSMOLOGIAM PROLEGOMENA.

§. I. *Coſmologiæ*, ſeu *Scientiæ de Mundo in genere*, elementa traditurus, hujus ſpectabilis Mundi brevem ideam in anteceſſum exhibebo; metaphyſicæ quippe cognitiones, phyſicis, e quibus ſunt abſtractæ, ſuperſtruuntur. Equidem ſpectabilis Mundi non niſi exiguam partem noſcimus, eamque imperfectiſſime. Quantum vero obſervationum, & ratiocinii adminiculo intelligere datum eſt, Mundi hujus ſyſtema ita ſe habet.

§. 2. I. In immenſo ſpatio innumerabilia ſparſa ſunt prægrandia Corpora natura ſua fulgentia, & intervallis quam maximis inter ſe diſſita, quæ *Stellas fixas* vulgo appellamus.

§. 3. II. Stellarum fixarum una *Sol* eſt, cujus apparens magnitudo longe ſuperat cæterarum apparentem magnitudinem, ob minorem a Tellure diſtantiam, licet fortaſſe cæteris major non ſit. Circa Solem vero periodice volvuntur ab occidente in orientem ſeptem grandia Corpora, quæ *Planetas* dicimus, hoc ordine. — 1. *Mercurius*, cujus magnitudo $\frac{7}{100}$ magnitudinis Terræ exiſti-

ma-

matur, diebus quaſi 88 ſuam conficiens orbitam, medium radium habentem leucarum 13, 456, 204. — 2. *Venus* magnitudinis prope $\frac{11}{12}$ magnitudinis Telluris, diebus quaſi 225 orbitam percurrens, cujus radius medius leucas continet 25, 144, 250. — 3. *Tellus* hæc noſtra, *Luna* perpetuo ſtipata, diebus 365, & horis quaſi ſex, cujus media a Sole diſtantia 34, 761, 680 leucas continet. *Luna* vero magnitudinis $\frac{1}{49}$ magnitudinis Telluris ſuum circa hanc circuitum abſolvit diebus 27, & horis fere octo. — 4. *Mars* ſequitur $\frac{1}{10}$ magnitudinis Telluris æquans, ſuumque circa Solem girum abſolvens anni tempore, & dierum 322, mediam ſervans a Sole diſtantiam fere leucarum 52, 966, 122. — 5. Sequitur *Juppiter* quatuor ſtipatus ſatellitibus, ſeu *Lunis*, cujus magnitudo 1479 vicibus Telluris magnitudinem ſuperat; in media diſtantia leucarum 180, 794, 791. tempore undecim annorum, & dierum 317 ſuum abſolvens circuitum circa Solem. — 6. *Saturnus* 1000 vicibus Telluris magnitudinem ſuperans, ſeptem ſatellitibus ſeu *Lunis* perpetuo circumdatus, circa Solem ſe torquens annis 29, diebus 177 quaſi, in media diſtantia leucarum 311, 604, 504. — 7. *Uranus*, ſeu *Sidus Georgianum* omnium hactenus memoratorum Planetarum remotiſſimum a Sole, quodque noviſſime detectum eſt anno 1781 a Cl. *Herſchel* ſui theloſcopii ope. Telluris magnitudinem excedit 88 vicibus, & duobus ſtipatus ſatellitibus (quantum hactenus conſtitit), ſuum abſolvit circuitum annis 83, diebus 150.

150, in media a Sole diſtantia leucarum 331, 604; 504. — 8. Præter hæc, & alia novimus errantia Sidera orbitas quam maxime excentricas circa Solem abſolventia, quæque *Cometas* dicimus. At horum non eſt hactenus præfinitus numerus; neque ſingulorum, qui hactenus apparuere, tempus conſtat periodicum.

§.4. III. Corporum modo memoratorum ſyſtema, cujus centrum Sol occupat, *Syſtema planetarium* dicimus. Atqui ſingulas fixas Stellas totidem ſyſtematum eſſe centra veroſimile eſt, & Recentioribus arridet.

§.5. IV. Sicuti Tellus incolarum ſedes eſt, & perpetuum generationum, & corruptionum, ſe mutuo conſequentium theatrum, quæque ſingulæ a propria, & ſtabili lege nihil in tota antiquitate receſſerunt, nec modo recedunt; ita ejuſmodi quoque ſingulos eſſe Planetas, & Cometas, valde probabile eſt, & omnibus arridet Recentioribus: atque adeo ſicuti Tellus jure meritoque inter Planetas recenſetur, ita & Planetæ pro totidem Telluribus ſunt habendi. Id ipſum de Planetis, qui circa fixas Stellas revolvi probabiliter putamus, cenſeri debet.

§.6. V. Atqui haud prætereundum eſt, ſingula memorata Corpora mutuis inter ſe viribus agere. Equidem ob maximas, in quibus conſtituta ſunt, diſtantias, hæc actio in pluribus inſenſibilis, at in aliquibus quandoque ſenſibiliter ſe prodit.

§. 7. Ex iis, quæ mox ſummis labiis attigimus, tum ex phænomenis, quæ obſervationum ope Telluris noſtræ reſpectu cuique patent, quæque analogiæ ſubſidio de cæteris Planetis conjici.

jicimus, facile intelligi poteſt, Mundi nomine intelligendum eſſe *Syſtema Entium tum permanentium, cum ſucceſſivorum continuo nexu inter ſe conjugatorum, quodque ad aliud ſimile ſyſtema minime pertineat.*

§. 8. Entium permanentium nexus eorum reſpicit ſitum, ſeu coexiſtentiam, & ex Cauſſis finalibus repetendus eſt; ſeu ex fine, ad quem reſpexit Qui primo Mundum fabricatus eſt, & unum Ens ad aliud ordinavit. Ita ex. gr. Tellus in ea diſtantia a Sole locata eſt, eamque orbitam conficit, qua nec nimio ardore metalla fundantur, vegetabilia, & animantia enecentur; nec nimio frigore rigeſcant omnia, rurſumque pereant ejus viventia: ſed ejuſmodi in ſingularum tempeſtatum viciſſitudinibus temperaturæ limites perpetuo ſerventur, qui & vegetantium, & animalium œconomiæ conveniant.

§. 9. Entium vero ſucceſſivorum nexus tempus ſpectat, fitque per Cauſſas efficientes; internoſci vero poteſt, quoties ſubſequentis exiſtentiæ ſufficiens ratio in Entis antecedentis actione continetur. Hujuſmodi ex.gr. eſt nexus, qui inter fructus, & flores plantæ intercedit, tum ille, quem hos inter, & ſuccos ab organica plantæ ſtructura, ejuſque peculiari phyſi elaboratos, noſcimus.

§. 10. Mundi ergo in genere Eſſentia præcipue conſiſtit in peculiari illo nexu, quo tum Entia permanentia, cum ſucceſſiva inter ſe vinciuntur: ſiquidem ex variato nexu alius atque alius prodiret Mundus, licet Entia inter ſe connexa eadem eſſent. Ex. gr. ſint A B C D..

&c.

&c. q r s t &c. entia partim permanentia, partim ſucceſſiva, e quorum nexu ordinatum emergat ſyſtema, ſeu Mundus: modo ſi alio inter ſe nexu ordinentur, puta B A D C ... r q t s ..., fiet ſyſtema aliud, ſeu Mundus a priori omnino alius.

§. 11. Cum omnia & ſingula Mundi Entia connexa inter ſe, & correlata eſſe debeant, per ſe patet, omnem in eo repugnare *caſum*, & *fortunam*; ſed de hoc in *Ontol.* §. 10., tum inferius iterum ediſſeram.

§. 12. De Mundo generatim acturi, inquiremus I. Cujuſmodi ſint elementa, ex quorum congerie corpora ſunt conflata; tum ex iſtis Mundus ipſe. II. Præcipuas generales leges, juxta quas & materiei elementa, & ipſa corpora inter ſe agere debent, inveſtigare ſatagemus. III. Materiæ, & Mundi originem perſequemur. IV. Cujuſmodi ſit nexus, quo Mundi Entia inter ſe devinciuntur, exponemus, & de *Fato* juxta præcipua Philoſophorum placita diſputabimus. V. de naturali, & ſupernaturali diſſeremus.

C A P. I.

De corporum Elementis.

§. 13. Corpora quævis adſpectabilem Mundi machinam componentia in partes dividi, in propatulo poſitum eſt. Hæc equidem phyſica corporum diviſibilitas, ſicuti pluri-

ribus oſtendunt Phyſici, tanta eſt, & tam longe progreditur, ut noſtræ imaginationis vires penitus effugiat: at, ſuis tandem limitibus concludi illam debere, quos ultra progredi nequeat, Nemo ambigere poteſt.

§. 14. Prima illa componentia, ex quorum coagmentatione corpus phyſicum primo conſtituitur, quæque ex aliorum nexu non ſunt conflata, *Elementa* corporum dicuntur: tum ipſa hæc elementa *Materiæ mundanæ* nomine veniunt. (a) De hiſce elementis, quæremus I. ſunt ne extenſa, vel inextenſa? II. ſimilia, an diſſimilia?

A R T. I.

Corporum Elementa ſunt ne extenſa, vel inextenſa?

§. 15. Diſcrepantes Philoſophorum ſententiæ ad duas Claſſes, quod ad rem præſentem attinet, referendæ videntur. Alii ſiquidem corporum elementa vere ſimplicia ponunt

(a) Elementorum nomen diverſo plane ſenſu a Chemicis uſurpatur. Deſignant nimirum quaſdam materiales ſubſtantias (non ſenſu metaphyſico, ſed vulgari ſumunt ſubſtantiæ nomen, vide ont. §. 62.), omnino ſimilares, cum in ſui toto, tum in ſingulis partibus, quaſque nulla artis, naturæque vi conſtat, reſolvi in alias diverſæ ſpeciei. Has ſolent appellare etiam *ſubſtantias ſimplices*; tum quoque *prima corporum componentia*. Vide quantum diſtant notiones Metaphyſicorum, & Chemicorum eidem vocabulo ſubjectæ!

nunt, & inextenſa. E contrario alii extenſa habent, & figurata.

I. In prima claſſe veteres ſunt *Zenoniſtæ*, qui corporum elementa *puncta* dixerunt ſimplicia, & mathematica. At riſu a Sapientioribus excepta hac ſententia, *Leibnitius*, Vir equidem ſummi ingenii, *Monades* dixit, ſubſtantias nempe vere ſimplices, & omnino inextenſas, natura ſua activas, & diſſimiles. Tum poſtremus omnium *Boſcovikius* inextenſorum elementorum & ipſe Patronus *puncta* appellavit non mathematica, ut Zenoniſtæ, ſed realia; quæ viribus per vices attractricibus, & expultricibus juxta certas, & determinatas ad invicem diſtantias gaudeant. Quid interſit diſcriminis has inter ſententias, probe advertant Tyrones.

II. Ad alteram claſſem ſpectant veteres *Democritici*, tum *Epicurei*, qui corporum elementa corpuſcula habebant quam minima, extenſa, & diverſimode figurata; tum duriſſima, atque phyſice inſecabilia: eaque atomos dixerunt. Ex Recentioribus *Newtoniani*, eamdem coluere ſententiam, tum mutuo ſe attrahendi vi prædita eſſe docuerunt. Inter extenſorum elementorum Patronos recenſendi quoque veniunt *Carteſiani*.

§. 16. Ex iis, quæ in ontologia §. 60. de Ente phyſice compoſito diſputavimus; perdifficile non erit deliberare ſimplicibus ne, & inextenſis elementis adſtipulari debeamus, vel extenſis & figuratis. Nempe ſi extenſa, & figurata ſunt corporum elementa, pluribus ea partibus, quæ ſint realiter diſtinctæ, conſtant. Habeat enimvero elementum cubicam figuram; qua-

quatuor illius anguli ſolidi non ſunt revera unus idemque angulus, ſed quatuor realiter diſtincti: adeoque realiter diſtinctæ ſunt particulæ in quatuor verticibus angulorum conſtitutæ. Habeat pyramidalem figuram; particula in vertice poſita alia omnino eſt a particulis, quæ in baſi conſtitutæ ſunt; nec non particulæ ſolidos baſis angulos efficientes tot ſunt numero particulæ realiter diſtinctæ, quot anguli. Figuram habeat ſphæricam; huic ſi inſcriptum cubum concipiamus, ſegmenta ſphærica ſex cubi inſcripti faciebus impoſita non ſunt unum, idemque ſegmentum, ſed totidem ſegmenta, nempe totidem ſphærici elementi partes realiter diſtinctæ. &c. Sed quæ pluribus conflantur realiter diſtinctis, ſunt phyſice compoſita. Itaque elementa extenſa, & figurata ſunt phyſice compoſita; adeoque non elementa. §. *60. ont.* Qui ergo corporum elementa pro corpuſculis extenſis, & figuratis habent, ſibi ipſi conſtare non videntur, cum nequeant ſibi non contradicere.

§. 17. Neque obſtat, quod iſthæc corpuſcula indiviſibilia dicantur. Nam ut rei cujuſque diviſibilitas ſtatuatur duæ requiruntur conditiones. I. Ut res pluribus conſtet partibus realiter diſtinctis: II. ut adſit potentia, quæ illas partes diſſociare valeat. Prima tantum conditio diviſibilitatem rei intrinſecam, & ex ſe poſſibilem conſtituit. Ambæ ſimul conditiones diviſibilitatem phyſicam, & realem ſiſtunt. In atomis democriticis adſunt partes realiter diſtinctæ §. *præc.* Sunt ergo natura ſua, & intrinſecus diviſibiles: id quod ſat eſt, ne eas pro elementis

componentibus habeamus, ſed pro compoſitis. Quod vero adtinet earum phyſicam diviſibilitatem, licet Adverſariis concedamus quod aſſumunt, nullam eſſe in præſenti Naturæ curſu vim, quæ atomum conterere valeat, (tanta ſcilicet, ut inquiunt, eſt ejus durities, ut quamlibet eludat vim in univerſa Natura poſitam), effugeret ne illa vim infinitam? potentiam dico ſupremi Numinis? Quid ad hæc Newtoniani?

§. 18. Sunt vero qui regerunt: cum de corporum agitur elementis, nulla ſtatui poſſunt veri nominis elementa; quippe, inquiunt, ſunt corpora, & corporum elementa natura ſua extenſa, atque adeo intrinſecus, & natura ſua in infinitum diviſibilia. Atqui tædet, eos, qui hæc objiciunt, petitionem principii heic latentem non intueri. Cæterum expendamus cujuſmodi ſit effugium iſtud.

I. Si corpora ſunt intrinſecus, & natura ſua in infinitum diviſibilia, ea profecto ſunt compoſita ejuſmodi naturæ, ut nulla habeant vera principia componentia. Ecquis adeo excors, qui tam patentem contradictionem non reſpuat?

II. In hypotheſi, qua corpus phyſicum in infinitum diviſibile adſtruitur, erit in quovis corpore infinitus partium numerus. Sunt vero corpora aliorum corporum multiplicia. Quare reapſe exiſtunt numeri infiniti, & qui aliorum pariter infinitorum ſunt multiplices. Sed hæc de infinito abſoluto pugnant omnino (*a*).

III.

(*a*) Non ſum neſcius, Mathematicos oſtendere, quamvis vel minimam extenſionem in infinitum diviſibilem eſſe

III. In eadem hypotheſi nullam unquam partem, etſi in infinitum progrediamur, reperire eſt, quæ ſit vere, & phyſice ſimplex. Sed omnis ſubſtantia nequit eſſe niſi phyſice ſimplex *ont.* §. *61*. Quare in corporum compoſitione nulla eſt ſubſtantia: erunt adeo Corpora accidentium, vel nihilorum congeries. Iſta equidem abſurda prius concoquant oportet, qui extensis elementis adſtipulari cogitant.

§. 19. Qui ſimplicia reſpuunt elementa hac potiſſimum ratione pugnant. *Qui ex vere ſimplicibus, & inextenſis elementis, corpora, quæ*

F 2 *sunt*

---

eſse: tum plures eſse infinitorum ordines, nec non in eodem infinitorum ordine eſse infinita aliorum infinitorum multiplicia. At nemo ſanus, has Mathematicorum de infinito doctrinas infinitum abſolutum ſpectare, decernet; niſi ſibi ipſe contradicere velit. Non ne infinitum unum aliud infinitum excedens, hoc limitibus conſtare manifeſtiſſime pandit, atque adeo non eſse infinitum? Deinde, quæ demonſtrationes infinitam diviſibilitatem extenſionis ſtatuunt, ſi phyſicis corporibus aptari velint, pluribus claudicant. 1. Demonſtrationes illæ extenſionem vere, & metaphyſice continuam reſpiciunt, quæ certe extra imaginationis cancellos nullibi exiſtit, nec exiſtere poteſt: corporea quippe extenſio haud vere continua eſt; ſed apparenter tantum; nec corpora pro quantitatibus continuis, ſed diſcretis, habenda eſse autumamus; ut mox ediſſeram 2. Ecquis ignorat mathematicas demonſtrationes omnes ad unam huic talo inſiſtere, punctum eſse, cujus nulla ſit magnitudo, lineam ſine latitudine, ſuperficiem ſine profunditate? Jam quum puncta, lineæ, & ſuperficies hujuſmodi ſolum ſint animi noſtri conceptus, nec in corporibus realiter exiſtere, ſtatuere poſſimus; demonſtrationes illæ imaginariæ tantum extenſioni, non etiam corporeæ aptari poſsunt.

ſunt extenſa conflari poſſunt? Certe ſimplicium elementorum myriades non majus replebunt ſpatium, quam ſingula. Atqui difficultas iſthæc ex falſa oritur notione, quam de corporum extenſione animo informarunt; ex integro autem illa enodabitur, 1. si veram corporeæ extenſionis notionem nobis comparemus, tum 2. Boſcovikii ſententiam amplectamur. Itaque

§. 20. I. Duplex continuum, ſeu continua extenſio ſecernenda ſedulo eſt; alia, quæ *metaphyſice* ſeu *mathematice* talis eſt; alia, quæ *phyſice* ſeu *apparenter* tantum. Extenſio *metaphyſice* continua eſt, quam vulgo imaginamur, cujus nimirum partes ſunt ubique ita immediate inter ſe connexæ, ut nullibi vel minima interruptio adſit, nullibi vel minimus interſit hiatus. Extenſio autem *phyſice* tantum continua illa eſt, in qua nullus occurrit ſenſibilis hiatus, nulla ſenſibus patens interruptio, licet quamplurimæ revera interſint. Cujuſmodi porro eſt corporum extenſio? Equidem iſthæc quæſtio ad Phyſicam ſpectat; ſed pro re noſtra leviter ſaltem heic attingenda eſt. Auri fruſtulum omnes continuum dicunt, quippe ſenſuum ope nulli interpoſiti hiatus, nullaque interruptio detegitur inter ejus partes. Atqui ſi microſcopio illud intueamur, innumeris pertuſum foraminibus, quæ poros Phyſici appellant, ultra quam imaginari poſſumus, deprehendemus. Hinc merito conficimus, auri fruſtum extenſionem phyſice tantum continuam habere. Idem dicendum de cæteris corporibus. *Atqui*, inquiunt, *minimæ ſaltem particulæ præditæ ſunt extenſione vere, & metaphyſi-*

sive continua . Acutioribus microſcopiis illud ipſum auri fruſtulum exponamus , alios modo, atque alios poros , qui prius conſpectui ſe ſubducebant , detegemus . Acutiora adhuc microſcopia arripiamus , adhuc alii , atque alii pori prius latentes innoteſcent . Cum autem acutiora potius microſcopia deficiant, quam novorum pororum conſpectus ; patet, eorum ſententiam, qui corpora pro quantitatibus omnimode diſcretis habent, licet apparenter continuis, veroſimiliorem eſſe, ac obſervationibus magis conformem. Saltem vero hinc monemur, ſenſuum teſtimonium impar omnino eſſe ad quæſtionem dirimendam ; exiſtat, nec ne, in corporibus aliquod minimum extenſum, vere, & metaphyſice continuum .

II. Supponamus modo cum Boſchovikio corporum elementa in minimis intervallis ſe mutuo petere viribus per vices attrahentibus, & repellentibus: in hac hypotheſi, etſi veré ſimplicia, & inextenſa , in minimis tamen intervallis juxta ſe poſita extenſionem phyſice continuam ſenſibus objicere poſſunt . Certe corporum nihil ſcimus aliud, niſi quod in ſenſus noſtros agant; ideſt, eorum virium in nos actionem, noſtramque ab illis paſſionem . In hypotheſi , qua ſimplicia elementa ſuis viribus ad minimas diſtantias ſe mutuo devinciant , res perinde ſe habet noſtrarum ſenſationum reſpectu , ac ſi illa forent minima extenſa , quæ ſe contingendo ſive adparenter, ſive vere, in ſenſibiles moles coagmentarentur .

§. 21. Simplicium elementorum oppugnato-

res duplici mihi videntur præjudicio occupati. I. Corporum extenſionem eſſe metaphyſice continuam. II. Simplicia elementa ad mutuos amplexus devenire, ex quo conſequi neceſſario debet, ut ipſorum millena majus, quam ſingula, ſpatium nequeant occupare. Primum equidem præjudicium, quod quavis alia cognitione antiquius videtur, facile expungere poteſt quiſquis philoſophari ſtudet, ſi vel minimum microſcopicis obſervationibus vacet: his enim pleniſſime eruditur, hujuſmodi extenſionem merum eſſe phænomenon. Secundum, quod ad leibnitianam ſententiam peſſumdandam optime quadrat, nihil contra boſcovikianam theoriam valet, in qua ſtatuitur, ſimplicia elementa extenſionem phyſice continuam ſenſibus objicere, quia in minimis diſtantiis ſe arcte tenent, & veluti mutuo devinciunt viribus per vices attrahentibus, & repellentibus.

§. 22. Atqui, inquient, hæc ſententia virium per vices attrahentium, & repellentium eſt omnino hypothetica. Equidem nonniſi hypotheſim heic proponere autumo; at hypotheſim non inſolentem, neque abnormem a phyſicis obſervationibus in ſenſibilibus corporibus captis. Hæc vi attractionis gaudere indubie conſtitit, & ut Newtonianis placet, in aliis diſtantiis etiam vi repulſionis. Tum hypotheſis iſthæc ad rem noſtram optime quadrat, eamque ſtatuere donec uſque quid melius excogitatum fuerit, veluti cogimur, ſi quæ ſupra monuimus probe ſint perpenſa. Nempe elementa, quæ ſint extenſa, pugnant omnino §§. 17. & ſeq., ſimplicia er-

go, & inextenſa ſunt ſtatuenda. Sed inextenſa, & ſimplicia elementa in corporeas moles coagmentari nequeunt niſi viribus attrahentibus, & per vices repellentibus, juxta varias a ſe diſtantias, gaudeant. Quare hypotheſis, quam heic proponimus nullimode eſt Philoſopho indigna, quin immo præ cæteris commenda videtur. Sed de hac re preſſius ſequenti capite ediſſeremus.

A R T. II.

Similia ſint, an diſſimilia corporum elementa, expenditur:

§. 23. CUm infinita pene ſit corporum adſpectabilis varietas, ſponte veluti ſua inquirendum occurrit, ſint ne corporum elementa æque diſſimilia. Ex antiquioribus Anaxagoras concipere cum non poſſet quomodo ex eo quod non eſt quidpiam effici poſſet, ut ajt Plutarchus de *placit. phil. l.* 1. *cap.* 3. tot ſtatuit elementorum diſſimiles ſpecies, quot corporum novimus; ex quo celebris ejus *Homœomeria*, quam eleganter *Lucretius de rer. nat. Lib. I. v.* 830. expoſuit. (*a*). Ex Recentiori-

(a) *Nunc & Anaxagoræ ſcrutemur homœomeriam.*
Oſſa videlicet e pauxillis, atque minutis
Oſſibu', ſic & de pauxillis, atque minutis
Viſceribus viſcus gigni: ſanguinemque creari
Sanguinis inter ſe multis cœuntibu' guttis:
Ex aurique putat micis conſiſtere poſſe
Aurum: & de terris terram concreſcere parvis:
Ignibus ex ignem: humorem ex humoribus eſſe:
Cætera conſimili fingit ratione, putatque.

ribus Leibnitius ſingulas monades diſſimiles ſtatuit, ſuo innixus indiſcernibilium principio §. 47. *ont.* Cæteri autem ſimilia poſuerunt, niſi quod extenſorum elementorum Patroni varias, diverſaſque atomis tribuerunt figuras, quo diverſos cohæſionis gradus, diverſasque ſenſibiles qualitates, quas in corporibus obſervamus, explicarent.

§. 24. At nihil eſt, quod diſſimilia ſtatuamus elementa; quippe indiſcernibilium principium ratum non habemus; neque adparentes corporum qualitates tanti ſunt, ut nequeant e ſolo diverſo nexu, & diverſa ſimilium elementorum diſpoſitione derivari. Rem illuſtrat *Boſcovikius* eleganti nimis exemplo *theor. phil. nat.* §. 98. *Fieri utique poſſent nigricantes litteræ, non ductu atramenti continuo; ſed punctulis rotundis nigricantibus, & ita parum a ſe remotis, ut intervalla nonniſi ope microſcopii diſcerni poſſent; & quidem ipſæ litterarum formæ pro typis fieri poſſent ex ejuſmodi rotundis ſibi proximis cuſpidibus conſtantes. Concipiatur ingens quædam Bibliotheca, cujus omnes libri conſtent litteris impreſſis, ac ſit incredibilis in ea multitudo librorum conſcriptorum linguis variis, in quibus omnibus forma characterum ſit eadem. Si quis ſcripturæ hujuſmodi, & linguarum ignarus circa ejuſmodi libros, quos omnes a ſe invicem diſcrepantes intueretur, obſervationem inſtitueret cum diligenti contemplatione; primo quidem inveniret vocum farraginem quamdam, quæ voces in quibuſdam occurrerent ſæpe, cum eædem in aliis nuſquam adparerent, & inde lexica poſſet quædam compone-*

nere totidem numero, quot idiomata ſunt, in quibus ſingulis omnes ejuſdem idiomatis voces reperirentur, quæ quidem numero admodum pauca eſſent, diſcrimine illo ingenti tot tam variorum librorum redacto ad illud uſque adeo minus diſcrimen, quod contineretur lexicis illis, & haberetur in vocibus ipſa lexica conſtituentibus. At inquiſitione promota facile adverteret, omnes illas tam varias voces conſtare ex 24 tantummodo diverſis litteris, diſcrimen aliquod inter ſe habentibus in ductu linearum, quibus formantur, quarum combinatio diverſa pareret omnes illas voces tam varias, ut earum combinatio libros efformaret uſque adeo magis a ſe invicem diſcrepantes. Et ille quidem ſi aliud quodcumque ſine microſcopio examen inſtitueret, nullum aliud inveniret magis adhuc ſimile elementorum genus, ex quibus diverſa ratione combinatis oriventur ipſæ litteræ; at microſcopio arrepto intueretur utique illam ipſam litterarum compoſitionem e punctis illis rotundis prorſus homogeneis, quorum ſola diverſa poſitio, ac diſtributio litteras exhiberet. Deinde §. *99.* ita concludit. *Hæc mihi quædam imago videtur eſſe eorum, quæ cernimus in natura. Tam multi, tam varii illi libri corpora ſunt, & quæ ad diverſa pertinent regna, ſunt tamquam diverſis conſcripta linguis. Horum quidem chemica analyſis principia quædam invenit minus inter ſe difformia, quam ſint libri, nimirum voces. Hæ tamen ipſæ inter ſe habent diſcrimen aliquod, ut tam multas oleorum, terrarum, ſalium ſpecies eruit chemica analyſis e diverſis corporibus. Ulte-*

terius analyſis harum veluti vocum, litteras minus adhuc inter ſe difformes inveniret, & ultimo juxta theoriam meam deveniret ad homogenea punctula, quæ ut illi circuli nigri litteras, ita ipſa diverſas diverſorum corporum particulas per ſolam diſpoſitionem diverſam efformarent: uſque adeo analogia ex ipſa naturæ conſideratione derivata non ad difformitatem, ſed conformitatem elementorum nos ducit.

§. 25. Re quidem vera; conſtat inter Philoſophos, diverſas ac multiplices qualitates, quas vulgo corporibus tribuimus, nihil eſſe aliud, quam noſtrarum ſenſationum phænomena; non vero ſimiles entitates corporibus revera inhærentes: id quod & in Logica monuimus, tum in Pſychologia copioſius edocebimus. Rurſus conſtat, varias in mente gigni ſenſationes ex diverſo corporum in ſenſus incurrentium tactu, ſeu ex eorum diverſa in ſenſus noſtros actione. Atqui ex diverſo elementorum corpora conſtituentium nexu, & poſitione ad invicem, optime intelligitur, diverſas in elementis noſtros ſenſus conflantibus motiones cieri, quin & elementa diverſæ naturæ ſtatuere oporteat. Quare nihil eſt, quod elementa heterogenea, & natura ſua diſſimilia eſſe comminiſcamur.

§. 26. Generationes, & corruptiones, quas quotidie obſervamus non ſunt habendæ pro novarum ſubſtantiarum productionibus, ſeu creationibus, & veterum annihilationibus. Nihil ſunt aliud, quam elementorum perpetuo perſtantium novi nexus, & diſſolutiones. Siquidem ex nihilo nihil fit §. 114. *ont.* Deinde

per

per novos eorumdem elementorum nexus, novæ plane res prodire poſſunt; ſicuti e contrario per eorumdem nexuum diſſolutionem e conſpectu abire §§. 24. 25. Non inſcite Scholaſtici ajebant: *Corruptio unius generatio eſt alterius*; licet rem alias explicarent, commentitiæ formarum ſubſtantialium theoriæ inſiſtentes (*a*).

§. 27. Et dictis patet, omnium quæ in corporibus inſunt, vel ineſſe poſſunt ſufficientem rationem ex intima ipſorum elementorum natura pendere, nec non ex diverſo elementorum, quo invicem copulantur, nexu. Cum vero inter Phi-

(*a*) Etſi elementa innumeros diverſos nexus, innumeraſque varias inter ſe poſitiones ſubire queant; attamen quantum ex chemica corporum analyſi hactenus datum eſt noſse, videtur ſaltem telluris noſtræ reſpectu, hanc eis a ſupremo Conditore legem impoſitam, ut nonniſi triginta tres primitivas combinationes, quæ ſint ſpecifice diverſæ, ſubire queant. Sicuti nempe punctula illa nigricantia, de quibus §. 24., e quorum varia poſitione caracteres effici poſsent, hanc debent ſervare legem pro noſtro alphabeto, & ſcriptura, ut nonniſi in 24. combinationes abeant. Sane nonniſi 33. materialia compoſita hactenus novimus, quæ ſingula ſibi ſemper ſimilaria, & homogenea, nullo artis, & naturæ molimine in alia diverſi generis abire conſtitit. Hujuſmodi ſunt *lux*, *caloricum*, *fluidum electricum*, *oxygenium*, *hydrogenium*, *azotum*, (quod ab aliis accuratius *nitrogenium* appellatur) *carbonium*, *ſulphur*, *phoſphorum*, *quinque terræ*, *ſeptemdecim metalla*, *ſoda*, *&* *potaſſa*. Cætera corpora ſunt combinationes ſecundariæ; nempe mixtiones, modificationes, vel tandem intimæ compoſitiones prædictarum 33. combinationum primariarum. Ita ex. gr. Aqua eſt intima compoſitio hydrogenii, oxygenii, & calorici. Acidum ſulphuricum eſt intima combinatio ſulphuris, oxygenii, & calorici &c.

Philoſophos conveniat, ab eſſentia auſpicandam eſſe ſufficientem rationem omnium, quæ in quavis re inſunt, vel ineſſe poſſunt §. 16. *ont.*; per ſe liquet, corporum eſſentiam in elementorum ſimplicium natura, & vario inter ſe nexu reponendam eſſe. At quis elementorum naturam, varioſque ipſorum nexus plane perſpectos habere præſumet? Corporum itaque eſſentia pro incomperta habenda, & verba effutiiſſe quotquot contrarium audacter prædicarunt.

C A P. II.

De Legibus coſmologicis.

§. 28. *Legum coſmologicarum* nomine veniunt certæ quædam naturales, ac inſitæ determinationes virium materiæ, juxta quas & elementa, & corpora hiſce conflata perpetuo in ſe invicem agunt; tum gignuntur in Mundo omnia, pereunt, moventur, modificantur, & quibus Univerſi ordo continetur. (*a*) Hæ genericis quibuſdam propoſitionibus efferuntur, quarum præcipuas heic exponemus.

§. 29. LEX. I. ***Corporum elementa viribus per vices attrahentibus, & repellentibus pro variis a ſe diſtantiis gaudent, quibus in ſe mutuo agen-***

(*a*) Vis motrix in horologio certam habet determinationem ex ipſa horologii mechanica ſtructura, qua determinatos motus, & non alios, in indicibus gignit: ita vires elementorum inſitas habent, ac certas agendi determinationes, a quibus, ne hilum quidem, recedere poſſunt.

agentia in ſenſibiles, & extenſas moles concreſcunt.

Niſi enim hujuſmodi viribus gauderent, quam facile corpora ex illis conflata diſſolverentur, unde Univerſi moles in informe Chaos quam ſubito abiret. Gaudent verò viribus attrahentibus in majoribus diſtantiis, repellentibus in minimis. Primis ſe mutuo petunt ad acceſſum, ne ſingula diffluant, & dilabantur: ſecundis vetatur intima eorum penetratio, ne ſcilicet eorum millena non majus occupent ſpatium, quam unum: id quod ſi ſolis attrahentibus viribus gauderent, extemplo, & neceſſario fieret. Cum inter limites harum virium corporum elementa ſunt conſtituta, conquieſcunt, & cohærent. Itaque hac lege mathematicus elementorum contactus vetatur, & ſimul efficitur, ut coëuntibus illis ad minimas, & inobſervabiles diſtantias, extenſa, & phyſice continua moles noſtris ſenſibus objiciatur. Hæ autem vires pro variis elementorum diſtantiis pluries mutari, ut ita attractrices abeant in expultrices, & viciſsim, diverſa corporum denſitas, tum diverſa cohœſionis vis exigunt: id quod in Phyſica uberius exponemus.

§. 30. LEX. II. *Singula Univerſi corpora ſunt antitypa.*

Per *antitypiam* intelligimus vim illam, qua corpus quodvis alteri naturaliter reſiſtit, ne eumdem occupet locum: ſeu ne unius materies cum alterius materie intime immiſceatur. Hanc legem eſſe coſmologicam ex eo patet, quod antitypia e corporibus, eorumque elementis ſub-

la,

lata, ſingula ad unum indiviſibile punctum redigerentur, & Univerſi moles illico evaneſceret.

§. 31. Hæc ſecunda lex corollarium eſt præcedentis. Etenim elementa, ubi ad minimas pervenere diſtantias, ſe mutuo repellunt, & ita, ut decreſcentibus ultra quemvis adſignabilem limitem diſtantiis, e contrario, creſcant ſimiliter vires repellentes. Hinc profecto fieri debet, ut elementorum compenetratio ſit naturaliter impoſſibilis. Quavis poſita extrinſeca vi corpus ad corpus apprimente, unius elementa ad alterius elementa apprimentur, & quandoque utraque proprius accedent; at id nonniſi ad determinatas uſque diſtantias: quippe his ad infinitum deſcreſcentibus, ſimiliter augebuntur vires ſingulorum repellentes.

§. 32. LEX. III. *Singula Univerſi corpora ſunt inertia.*

Cum dicimus corpora eſſe *inertia*, intelligimus nulla gaudere vi, qua ſponte ſua e quiete ad motum, & viciſſim e motu ad quietem, vel ex una motus directione, & gradu celeritatis, ad aliam directionem, vel celeritatis gradum, tranſeant. Si adeo moventur, nunquam, niſi ob externæ cauſſæ actionem, e motu ſuo deſiſtunt; ſi vero quieſcunt, quietem perpetuo ſervant, donec impreſſa extrinſecus vi moveri cogantur. Sane abſque inertia omnis mundanus corporum ordo, vel ſponte ſua, vel minima quavis vi deleri poſſet. (*a*) §. 33.

(*a*) Singula Univerſi corpora inertia eſse, quotidiana edocet experientia. De corporibus quidem quieſcentibus, quæ

§. 33. Newtoniani vocabulo *inertiæ* alium præter expoſitum, ſubdunt ſenſum; vis nempe, qua corpora ſive quieſcentia, ſive mota externis renituntur cauſſis ipſorum ſtatum ſive quietis, ſive motus perturbare conantibus. Hac vi, ipſi inquiunt, fit, ut quarumlibet cauſſarum externæ *actioni æqualis ſemper reſpondeat*, *& contraria reactio*. Hujus equidem effati veritatem ſingula motus phænomena teſtatam faciunt, ut de ea nullatenus dubitare liceat. Atqui non eſt, quod in materia illam comminiſcamur vim, ut præfatæ veritatis rationem reddamus. Nimirum mutuis elementorum viribus repellentibus, quibus corpora ad mutuum, & mathematicum contactum devenire vetantur §. 29.; optime intelligitur, corpus quodvis in aliud incurrens, ubi ad eam pervenerit vicinitatem, in qua vires elementorum repulſivæ ſe exerunt, hiſce viribus urgere, & propellere illud in quod incurrit, unde ſtatus mutatio in iſto neceſſario ſuboriatur. Similiter, cum repulſivæ vires elemen-

quæ perpetuo quietem ſervant, donec aliqua extrinſecus illata vi deturbentur, nullum forſitan movebunt ſcrupulum. Tyrones; non item de corporibus ad motum actis, quæ ad quietem alia citius, alia tardius ſua veluti ſponte redigi obſervantur. Atqui ſedulum ii ſi inſtituant examen, deprehendent, corpora ſemel mota non ſua ſponte, ſed externis obſtaculis, in quæ continuo incurrunt, a motu deſiſtere, & ad quietem redigi. Sane, quo adcuratius illa removentur, eo diutius in ſuo perdurant motu; ex quo ſatis intelligi datur, quod ſi omnia adcuratiſſime removeri poſſent obſtacula, perpetuo corpora in ſuo perdurarent motu. Sed de his opportunius in Phyſica.

mentorum corporis in quod fit incurſio, æque ſe exerant contra incurrentis elementa, pariter in iſtius motu mutatio fieri debet, et quidem in adverſam plagam. Eſt autem una, eademque virium lex in omnibus elementis. Quantam ergo ſtatus mutationem ſubit corpus, in quod fit incurſio, ex repellentibus viribus incurrentis; tantam ſimiliter patitur hoc alterum ex viribus repellentibus prioris: nempe *Unius actioni æqualis ſemper eſt, & contraria alterius reactio.*

§. 34. Sed quærent Tyrones; Quî ſunt inertia Univerſi corpora, ſi horum elementa activa vi attractionis, & repulſionis prædita diximus? §. 29. Activa quidem ſunt corporum elementa, ſed ejuſmodi naturæ eſt eorum vis, ut extrinſecus ſe exerat, non intrinſecus; ſeu ut nonniſi acceſſum, & receſſum in extra poſita elementa juxta determinatam diſtantiam moliatur. Nullum elementum hac vi ad motum ſe unquam determinabit, ab externo principio urgeri, & determinari debet, ut directionem, & celeritatem aſſumat. Num ne omnes magnetem inertem ſenſu ſupra expoſito §. 32. dicimus? attamen alterum magnetem juxta certam viciniam, determinatumque ſitum agitat, dum & ipſe viciſſim agitatur, ad acceſſum vel receſſum mutuo ſe determinantes. Itaque elementa, etſi vi motrice prædita, ſunt tamen inertia, utpote quæ nequeunt ſponte ſua ex motu ad quietem, & e contrario, a quiete ad motum determinari; ſed determinanda neceſſario ſunt ab aliis elementis in certa diſtantia poſitis, vel ab alia quavis Cauſſa.

§. 35.

§. 35. LEX. IV. *Singula Univerſi corpora & magna, & parva gravitate pollent.*

Gravitatis nomine intelligitur vis, qua corpora ad datum punctum, quod *centrum* appellatur, tendunt. Ita corpora terreſtria gravia dicimus, quia ſibi relicta ad Telluris centrum diriguntur; (*a*) retenta autem conantur deſcendere vi ſuæ maſſæ proportionali, premuntque deorſum corpora, quibus incumbunt. Id ipſum dicendum de corporibus in Luna, Saturno, Jove &c. exiſtentibus; tendunt nimirum, & conantur ad Lunæ, Saturni, Jovis &c. centra. Sane nullum hactenus corpus conſtitit, quod gravitate ſuæ maſſæ proportionali non fuerit præditum (*b*). Niſi ita ſe res haberet, corpora terreſtria ex ipſius Telluris vertigine, vel ex quovis alio impulſu, per immenſa vagarentur ſpatia, neque reciderent in Tellurem. Hinc Tellus brevi, ex diſſociatis perpetuo corporibus, minueretur, ac tandem evaneſceret. Idem de Jove, Marte, Luna &c. dicendum. Itaque Mundus in Chaos abiret corporum undequaque pergentium.

(*a*) Ita quidem ad amuſſim res ſe haberet, ſi Telluris figura ſphærica foret: cum autem oſtenſum ſit a Recentioribus Phyſicis & Mathematicis, Telluris figuram ſphæroidalem eſse, elevatam nempe ſub æquatore, & depreſſam ſub polis; id nonniſi quamproxime locum habere poteſt. Sed alibi opportune hæc expediemus.

(*b*) *Lux*, *caloricum*, & *fluidum electricum* nullum hactenus præbuere gravitatis ſpecimen; ſed temere hinc quis colligeret, isthæc fluida omnino eſse gravitatis expertia.

§. 36. Sed & magna Mundi corpora vi gravitatis ſua petere centra indubium eſt. Nempe in noſtro Syſtemate ſolari Planetæ primarii Solem petunt, & ſecundarii primarios. Ita Luna Tellurem, Jovis, Saturni, & Urani ſatellites, Jovem ipſum, Saturnum, & Uranum vi gravitatis reſpiciunt. Tum Mercurius, Venus, Tellus, Mars, Juppiter, Saturnus, Uranus, aliaque ingentia Corpora in Solem tendunt. Niſi enim vi gravitatis continuo erga ſua centra ſollicitarentur, nequirent curvas orbitas deſcribere; ſiquidem corpora curvas deſcribentia continuo a rectilinea directione deflectunt, id quod ſponte ſua, ſine conamine gravitatis, nequeunt efficere. §. 32.

§. 37. Fit nempe motus curvilineus, ut Phyſici docent, ex conjugatione duarum virium, quarum altera ſingulis momentis recta urget corpus per tangentem curvæ, quam deſcribit; altera vero indeſinenter idem ſollicitat ad aliquod punctum in curvæ area comprehenſum. Hanc ſecundam vim *centripetam* dixere; primam vero *tangentialem*, quæ ſi motus initio conſiderari velit, *projectionis* nomen ſibi vindicat, quippe quæ per projectionem corpori impreſſa intelligitur ab externa Cauſſa. Cum autem Secundarii erga Primarios; & Primarii erga Solem ita cieantur, ut areas deſcribant temporibus proportionales; hinc norunt Phyſici, vim centripetam indeſinenter Planetas ſollicitantem ad Primarios dirigi, ſi de Secundariis loquamur, ad Solem vero ſi de Primariis. Ambigi proinde non poteſt gravitatem ad ſingula

no-

noſtri planetarii Syſtematis corpora ſpectare. (*a*)

§. 38. Gravitatis vis, de qua hactenus, haud putanda eſt diverſa ab illa vi elementorum motrice, de qua §. 29. Vis iſthæc, quæ in minimis diſtantiis ſemper repellens eſt, in mediocribus modo attrahens, modo repellens ex diverſa ejuſdem diſtantiæ menſura, in maximis diſtantiis ſemper eſt attrahens. Hinc fit, ut magna mundi corpora longe a ſe diſſita, vi conflata e ſingularibus viribus ſingulorum elementorum, quibus coagmentantur, ſe mutuo petant celeritatibus in reciproca maſſarum ratione; ex quo fieri debet, ut majora videantur immota, minora vero erga ipſa majora corpora tendere, & adniti.

§. 39. LEX. V. *Minimæ corporum particulæ diverſis gaudent affinitatibus.*

Affinitatis nomine intelligimus vim illam, qua minimæ corporum particulæ aliis determinatæ ſpeciei particulis magis, vel minus ſive

(*a*) Ut hæc percipiant Tyrones, qua majori claritate in præſentiarum fieri poteſt, ſupponant, immobili puncto funem altero ſui extremo alligari, alteri deinde corpus quodvis: tum iſtud projici directione, quæ ſit diſtento funi normalis. Quid modo fiet? Corpus vi impreſſa conatur pergere rectilineo motu per datam directionem; ſed, ne recta diſcurrat, a diſtento fune præpeditur, cogiturque ſingulis momentis erga illud immobile punctum torqueri. Duabus nempe viribus modo agitur corpus, vi impreſſa projectionis, quæ per curvæ tangentem ſe exerit, & vi qua ad immobile punctum per diſtentum funem continuo retinetur. Hæc ſecunda vis typus eſt, & imago illius, quam in Planetis dicimus vim gravitatis.

cohærent, ſive intime commiſcentur, aliis vero non item. Eſt vero duplex affinitas, *aggregationis* nimirum, & *compoſitionis*. Prima cohæſionem particularum ſimilarium molitur, ex qua totum emergit undique homogeneum. Secunda intimam parit unionem particularum diverſæ ſpeciei, ex qua totum efficitur tertiæ ſpeciei omnino diverſæ, quin tamen particulæ illæ ob hanc unionem ſua ſe exuant natura, aliamque diverſam ſubeant. Ita ex. gr. Aqua aquæ cohæret *affinitate aggregationis*. Acidum ſulphuricum magneſiæ intime unitur *affinitate compoſitionis*, & conſtituit ſolphatum magneſiæ, (vulgo *sal anglicanum*), quin acidum ſulphuricum, & magneſia naturae ſubeant mutationem. Si enim prædicto ſolphato in aqua diluto potaſſam ſuperеffundas, ex prævalenti affinitate potaſſam inter, & acidum ſulphuricum, mox fiet ſolphatum potaſſæ, (vulgo *tartarum vitriolatum*), & reſtituetur magneſia.

§. 40. Porro utramque affinitatem ad leges coſmologicas ſpectare, nihil eſt quod dubitemus. Sine affinitate aggregationis omnia corpora ſimilaria diſſolverentur, ipſa adeo univerſi moles. Sine affinitate compoſitionis innumeræ deficerent rerum ſpecies diverſæ. & omnia, quantum ex chemica analyſi hactenus noſſe datum eſt, ſaltem reſpectu Telluris noſtræ, ad triginta tres ſpecies materialium combinationum redigerentur; & hæc ipſa, ſublata aggregationis affinitate, informem ſolutamque molem exhiberent.

§. 41. LEX. VI. *Vires tandem vegetationis*,

&

& *animalizationis ſexta coſmologica lege continentur*.

Plantarum vegetatio ſolis affinitatis viribus nequit expediri; ſunt enim plantæ corpora vere organica, viventia, & ſeipſa ex ſemine reproducentia. In viribus affinitatis, aliiſque ſupra expoſitis, non intelligitur ſufficiens ratio nec vegetationis, nec reproductionis plantarum ex ſemine. Similiter dicas de animantibus, in quibus præter vim *affinitatis*, & *vegetationis*, alia agnoſcenda eſt, quæ *animalizationis* nomine inſignitur.

§. 42. SCHOLION GENERALE. Vires de quibus hactenus haud exiſtimandæ ſunt totidem diſtinctæ vires materiei inſitæ, ſed totidem determinationes unius, ejuſdemque vis. Nimirum vis a ſummo Conditore materiei elargita ejuſmodi eſt effecta, & intrinſecus comparata, ut multiplices modificationes ipſa ſuapte natura ſubeat juxta diverſas circumſtantias, & occaſiones. Cum porro intimam hujuſce vis naturam minime calleamus; hinc haud perſpicientes, qui unica illa vis tot diverſas determinationes aſſumat, facile nobis ſuademus, has totidem diſtinctarum virium eſſe caracteres. Atqui ſunt totidem ſpecies, ſeu formæ, ſeu modificationes unius, ejuſdemque vis ex ipſa ejus natura fluentes. Sicuti ex. gr. vis motrix in horologio plurimas ſubiens modificationes ex mechanica horologii ſtructura, multiplices gignit, ac diverſos effectus, puta horarum, & minutorum oſtenſiones, phaſium lunæ, dierum hebdomedæ, &c., quos inſcienter profecto ex totidem viri-

 bus

bus, ſeu elateribus quis repeteret. Vis tamen *animalizationis* nequit ſoli materiei tribui, ſed potiſſimum repetenda eſt ab alia ſubſtantia alius generis, quæ materiei copulata illam modificat, agit, & evehit ad ſpeciem animalem.

CAP. III.

De Mundi, & Materiæ origine.

§. 43. Veteres omnes, quotquot de Mundi origine philoſophati ſunt, ſi ſolos excipias Hæbreos Revelationis lumine edoctos, Mundi materiam æternam, improductam, independentem, a ſe ipſa, & natura ſua exiſtentem poſuerunt. (*a*) Quo in hanc erroneam deſcenderent ſententiam, anſam præbuiſſe videtur male intellectum axioma, *ex nihilo nihil fit*, §. 114. *ont.* At in varias deinde abiere opiniones, quo ex æterna, & improducta materie, quam informem, rudemque maſſam putabant, & *chaos* nomine deſignabant, ordinatiſſimum adſpectabilem Mundum genitum, formatumque expedirent.

§. 44. Jonicæ ſectæ Alumni, quos inter Anaxagoras, tum deinceps Plato, (hic præ cæteris veteribus purgatiorem, nobilioremque Divinitatis notionem aſſequutus videtur) minus, quam cæteri, erroneam ſententiam docebant. Nem-

(*a*) Vide *Laur. Moſh.* diſs. de *creatione ex nihilo* quæ legitur poſt ſect. 2. *Syſt. intel. Cudworti*.

Nempe præter materiam æternam, & improductam, quam inertem, & inactivam ponebant, aliud principium æternum & improductum ſtatuebant, activum, ab omni materiæ compage ſolutum, & intelligentiſſimum. Tum hujus virtute & ſapientia informem materiam in ordinem congeſtam, & adſpectabilem Mundum conditum eſſe edocebant.

§. 45. Leucippus, tum Democritus, & Eraclitus æternam materiem congeriem dicebant atomorum, æterno motu abſque ullo certo centro, percitarum. Tum ex fortuita harum atomorum concurſione plura Mundorum monſtra per immenſam æternitatem emerſiſſe, quibus diſſolutis coaluit tandem hicce adſpectabilis. Sed & iſtum tandem aliquando diſſolvendum autumabant, ex quo nova rerum ſeries erit oritura. Hiſce adcenſendus eſt Epicurus, qui duplicem atomis tribuit motum, rectilineum nempe ex naturali atomorum pondere derivantem, & declinationis alterum. Per inane ſpatium concurſantes atomi duobus hiſce motibus in varias congeſtæ formas mundum genuere. Fere hanc ipſam ſententiam jam obſoletam in ſcenam reproduxit nuperus Auctor anonymus impii *Syſtematis naturæ*, qui ex æternæ, & improductæ materiæ natura, ac viribus (ut ipſe inquit) fæcundiſſimis, Mundi machinationem, omniumque rerum ſeriem auſpicatur.

§. 46. Orientales hanc coluere ſententiam; Deum æternum nempe, & actuoſum principium æternam materiem undique pervadere, & cum ea intime commiſceri. Hinc iners materia to-

tius ordinatiſſimi mundi, ſingularumque productionum fæcunda ſit parens. At Xenophanes eleaticæ ſectæ inſtitutor abſurdam hanc ſententiam abſurdiorem reddidit, ſtatuens unicam in Mundo exiſtere ſubſtantiam æternam, immutabilem, immobilem; tum unicæ hujus ſubſtantiæ diverſas eſſe modificationes quotquot diſtincta, & diverſa Entia cernimus. Hoc paradoxon arripuit Benedictus Spinoza, quod geometrica methodo exponere ſibi ſuaſit. Docuit itaque unicam eſſe ſubſtantiam actuoſam, ſimplicem, indiviſibilem, & infinitis præditam attributis, quam tum Deum, cum materiam, appellat. Deinde ex duobus ejus eſſentialibus attributis, infinita nempe cogitatione, & infinita extenſione omnia eſſe conflata. Nimirum interna unicæ hujus ſubſtantiæ actuoſitate, & naturæ neceſſitate, in varias, diverſaſque evolvitur modificationes tum extenſio, tum cogitatio: Extenſionis modificationes ſunt quæ appellamus corpora, cogitationis vero, quæ ſunt entia cogitantia. Sicuti cera, quæ ſi interna vi agitari ponatur, in varias abeundo modificationes, varia poteſt ſigilla exhibere. Abſurdiſſima hæc ſententia *Pantebiſmus* audit, quippe quæ confundit Deum cum Univerſo.

ART.

ART. I.

Ens aliquod æternum naturæ ſuæ neceſſitate exiſtere, indubie demonſtratur; tum ejus præcipui caracteres expenduntur.

§. 47. Ens *aliquod æternum exiſtere, & quidem ſuæ neceſſitate naturæ*, inter primas veritates, quæ ſponte ſua cuilibet de rebus coſmologicis philoſophanti occurrunt, mihi reponendum videtur. Sane ſi nihil eſt æternum, aliquando nihil extitit. Quæ ergo poſtmodum extitere, vel ex nihilo prodierunt, vel ſemetipſa produxerunt. Utrumque rationi evidentiſſime pugnat, §§. 114. 118. *ont.* Quare aliquid æternum exiſtere, extra eſt omnem dubitationis aleam. Quod vero æternum eſt, improductum ſit oportet: quod ſi improductum, tota ſuæ exiſtentiæ ratio ſufficiens in ſua eſſentia contineri debet, & eſſe ex ſuæ neceſſitate naturæ §. 21. *ont.* Igitur Ens aliquod æternum exiſtere, & quidem ſuæ naturæ neceſſitate ambigi nullo modo poteſt.

§. 48. Id ipſum vero per directam analyſim ita demonſtrari poteſt. Quidquid exiſtit vel vi ſua, & ſuæ naturæ neceſſitate exiſtit, vel vi alterius, puta B. Si primum, nequit illud non eſſe æternum; atque adeo ſua propoſitioni conſtat veritas. Si ſecundum, τω alterum B, vel vi ſua, & ſuæ naturæ neceſſitate exiſtit, vel vi alterius, puta C. Si primum, datur quod propoſitum eſt; ſi alterum, iterum de C illud ipſum

ſum quæram, quod de Ente B quærebam, & ita deinceps. Itaque vel ſeriem infinitam cauſſarum ſubordinatarum abſque ulla prima, & improducta ſtatuere cogimur; vel Ens aliquod æternum, & improductum fateri, quod cæterorum ſit prima cauſſa, & origo. Sed infinita ſeries cauſſarum ſubordinatarum abſque ulla prima, & improducta ſecum ipſa pugnat §. 121. *ont.* Fatendum igitur eſt, Ens aliquod æternum, & improductum ſuæ naturæ neceſſitate exiſtere.

§. 49. Equidem hæc veritas adeo per ſe conſtat, ut ii ipſi, qui de Divinitate peſſime ſenſerunt, nec negare auſi ſint. In determinanda natura hujuſmodi Entis æterni hallucinati ſunt, vel ex cordis malitia aberravere; ſed aliquid æternum exiſtere, omnes convenire oportuit. Nec non, qui ſeriem cauſſarum in infinitum comminiſcuntur, & ipſi ſuiſmet doctrinis aliquid æternum exiſtere revincuntur. Sane hi creationem ex nihilo impoſſibilem ſtatuentes, nomine ſeriei cauſſarum in infinitum nihil aliud intelligere poſſunt, quam infinitam ſeriem generationum, & corruptionum. Materia igitur, quæ ſubjectum eſt harum generationum, & corruptionum in infinitum, æterna eſt, & improducta. Coguntur itaque aliquid æternum, & improductum fateri.

§. 50. Atqui caracteres hujusmodi Entis, quod æternum eſt, & ſuæ naturæ neceſſitate exiſtit, ſeverioris rationis calculo expendere, modo operæ prætium eſt.

§. 51. I. *Ens æternum, quod neceſſitate ſuæ naturæ exiſtit, neceſſariam habeat eſſentiam oportet,*

tet, ſitque adeo immutabile. Id equidem evidentiſſimum eſt, ſi vim, & poteſtatem verborum aſſequimur. Nempe Ens aliquod naturæ ſuæ neceſſitate exiſtere idem ſonat, ac ejuſmodi eſſe Entis iſtius naturam, ut actualem exiſtentiam ipſa per ſe, & ſua vi obtineat, nequeatque ab illa ſeparari, ne noſtra cogitatione quidem; ſicuti ex. gr. Circulus rotunditatem ipſa ſui natura expoſcit, & obtinet. Itaque quod demum cumque ſit iſthæc natura, nequit unquam ab actuali exiſtentia ſeparari; atque adeo neceſſaria eſt, & immutabilis. Igitur Ens æternum &c.. Sane finge, Ens ex ſe, & ſua natura exiſtens mutari vel minimum poſſe; poteſt ergo aliter eſſe ab eo, quod actu eſt. Quare quod actu eſt, non habet neceſſario exiſtentiam, neque eſt ex neceſſitate ſuæ naturæ; id quod hypotheſi repugnat.

§. 52. Patet hinc I. Enti neceſſitate ſuæ naturæ exiſtenti intrinſecus pugnare, ſive quod nova accedat, ſive quod aliqua decedat perfectio. II. Contingentia eſſe quotquot mutationi ſunt obnoxia.

§. 53. II. *Ens, quod ſuæ naturæ neceſſitate exiſtit, omnibus poſſibilibus realitatibus, ſeu perfectionibus gaudere debet, & quidem ipſa ſui natura: ſeu eſſe infinite perfectum extenſive*, ut inquiunt, *& intenſive*. Id quoque cuilibet ingenue philoſophanti evidentiſſimum eſt; quippe nihil nobilius, nihil excellentius iſta natura excogitari poteſt. At juvat metaphyſicam demonſtrationem adferre.

In Ente naturæ ſuæ neceſſitate exiſtente, nul-

nulla nec eſſe, nec concipi poteſt ratio ecur aliquam a ſe excludat entitatem, ſeu perfectionem. Nulla Entitas concipi ullo pacto poteſt, quæ natura ſua limitem expoſcat, & quam tranſiliendo fiat non Entitas, vel detrimentum aliquod patiatur. Rurſus nulla veri nominis, & pura Entitas alteri puræ Entitati repugnare poteſt, eamque a ſe excludere. Igitur ſi Ens naturæ ſuæ neceſſitate actu non eſt infinite perfectum, *extenſive*, & *intenſive*, nihil vetat perfici in infinitum poſſe. At oſtenſum eſt §. præc eſſe intrinſecus impoſſibile, Ens naturæ ſuæ neceſſitate exiſtens perfici poſſe. Igitur debet actu eſſe infinite perfectum *extenſive*, & *intenſive*.

§. 54. Cum inter nobis notas perfectiones præcipue emineant Sapientia, Bonitas, Potentia, quin hiſce gaudeat Ens æternum, ambigi nullimode poteſt, atque adeo eſſe beatiſſimum.

§. 55. III. *Ens ſuæ naturæ neceſſitate exiſtens debet eſſe phyſice ſimplex*. Ens quodvis compoſitum eſt natura ſua mutabile: eſt enim intrinſecus poſſibile, ſimplicia componentia alium, atque alium nexum aſſumere poſſe, unde Ens compoſitum, quod inde conflatur, fiat plane diverſum. Sed Ens ſuæ naturæ neceſſitate exiſtens eſt intrinſecus immutabile §. 51. Quare Ens naturæ ſuæ neceſſitate exiſtens debet eſſe phyſice ſimplex. Deinde Ens phyſice compoſitum pendet a componentibus. Sed quod ſuæ naturæ neceſſitate exiſtit eſt independens; igitur Ens naturæ ſuæ neceſſitate exiſtens debet eſſe phyſice ſimplex.

ART.

A R T. II.

In materiæ originem inquiritur, eamque ex nihilo conditam vi, & potentia ſupremi Numinis invicte demonſtratur.

§. 56. PRæcipuos Entis æterni, ſuæ neceſſitate naturæ exiſtentis expendimus caracteres; hos modo materiæ referamus, ut pateat, ſi pro hujuſmodi Ente haberi queat: Bruta materies, multiplex, generationum, & corruptionum ſe mutuo, & perpetuo excipientium ſubjectum, obſtipa, iners, innumeris obruta defectibus, naturæ ſuæ neceſſitate exiſtit, atque adeo immutabilis eſt, unica & ſimplex, perfectiſſima, beatiſſima, infinita ſapientia, potentia, & bonitate prædita. Quid! Cujus, hæc talia componendo, Mens non horret, & immanibus non refugit abſurdis? Quisquis equidem, ut ut levem rationis particulam ſortitus eſt, vel ipſo primo obtutu agnoſcit, iſthæc e genere eſſe circulorum quadratorum, tringulorum rotundorum. Materies igitur, ex qua Mundus hicce coaleſcit, nequit eſſe Ens æternum, naturæ ſuæ neceſſitate exiſtens, & improductum.

§. 57. Quare furentem hic potius inſaniam, an ſummam impudentiam demirer, neſcio, Auctoris anonymi *Syſtematis naturæ*, qui nihil effutire dubitat, materiam exiſtere neceſſario, ipſam ſuæ exiſtentiæ ſufficientem continere rationem. Certe ex Petro Baylio ipſi non ſuſpecto Auctore ediſcere potuiſſet *exiſtentiam neceſſariam con-*

convenire poſſe ſubſtantiæ (ſcilicet materiei, de qua ſermo eſt), *quæ cæteroquin onuſta eſt*, & *undique premitur defectibus*, & *imperfectionibus*, *id eſt quod evertit evidentiſſimam notionem*, *nimirum Ens abſolute independens*, & *æternum*, *eſſe debere infinite perfectum*. *Dict. hiſt. art. Epicur. Rem. T.*

§. 58. Sed quibus tandem rationibus ſuadere putat profanus homo, materiam neceſſario exiſtere, ipſam ſuæ exiſtentiæ ſufficientem rationem continere? *Supponendo materiam* (hæc habet) *productam*, *aut creatam ab Ente ab ipſa diſtincto*, *ipſaque magis incognito*, *oportet ſemper dicere*, *bujuſmodi Ens*, *quodcumque tandem ſit*, *neceſſarium eſſe*, *ſeu in ſe continere cauſſam ſufficientem ſuæ exiſtentiæ*. *Modo ſubſtituendo materiam*, *ſeu Naturam huic Enti*, *nihil fit aliud*, *quam ſubſtituere notum agens*, *aut ſaltem partim cognobile Agenti incognito*, & *penitus incognobili*, *cujuſque exiſtentia impoſſibilis eſt demonſtratu*. Nemo non videt hominem iſta effutientem vel cæcutire, vel delirare. Quantum de materia omnes novimus abſolute pugnat cum natura Entis neceſſarii, in ſe continentis ſufficientem ſuæ exiſtentiæ rationem. Itaque delirus ille poſtulat, ut Enti perfectiſſimo, & ſummo, cujuſmodi eſſe debet Ens naturæ ſuæ neceſſitate exiſtens, abſolute impoſſibile ſubſtituamus §. 54. Deinde hoc Ens ſummum, & perfectiſſimum ab omni materiæ compage ſecretum oculis quidem non perſpicimus, nec perſpicere poſſumus; at ejus exiſtentiam, ſuæque naturæ præcipuos caracteres evidentiſſimis ſeverioris meta-

phyſicæ notionibus agnoſcimus; & demonſtramus; & omnes, quotquot naturalis rationis ductum ſequuntur, evidenti, & tuta notione intelligunt.

§. 59. Quæ ratio evidentiſſime oſtendit, Materiam non eſſe æternam, improductam, & neceſſitate ſuæ naturæ exiſtentem, eadem una ſimul pleniſſime conficit, nec pertinere poſſe ad attributa, & proprietates Entis ſuæ neceſſitate naturæ exiſtentis. Quare duplex ſubſtantiæ genus agnoſcere cogimur: *Subſtantiam nempe ex ſe, & naturæ ſuæ neceſſitate exiſtentem, æternam, immutabilem, ſimplicem, perfectiſſimam, unicam, & ab omni materiæ concretione ſolutam: & ſubſtantiam contingentem, multiplam.* Prioris nulla eſt Origo; alterius aliqua debet eſse. Sed unde eam repetemus? Cum ex nihilo eſse nequeat §. 114. *ont.*, neque ex ſeipſa §. 118. *ont.*, reliquum eſt, ut ab Ente æterno, neceſſitate ſuæ naturæ exiſtente illam repetamus. At modum, rationemque inquiramus.

§. 60. Duplex occurrit modus, quo ab Ente æterno, neceſſitate ſuæ naturæ exiſtente ſubſtantiarum contingentium exordia derivemus. Vel nempe per eſsentiales emanationes, ſeu evolutiones Entis neceſsarii illæ prodeunt: Vel per hujus infinitam virtutem, & potentiam ex nihilo, nempe abſque ullo præcedenti ſubjecto, ſunt conditæ: præter hæc duo nihil eſt aliud, quod comminiſci poſſumus. At prima ratio Entis neceſſarii ſimplicitati omnino repugnat; quid enim ex Ente ſimplici emanari, & evolvi poteſt? Tum repugnat entium hujus Mundi natu-

tu-

turæ; hæc enim contingentia ſunt & mutabilia; cum contra ſi emanationes forent Entis neceſſarii, æternitate, immutabilitate, & perfectiſſima natura gauderent. Quod ſi has emanationes mutabiles, temporaneas, imperfectas ponere velimus, ſicuti revera ſunt Entia mundana, evertere cogimur Entis neceſſarii naturam. Prior itaque ratio eſt manifeſte abſurda, & procul rejicienda. Quare reliquum eſt fateamur, Entia contingentia ex nullo præcedenti ſubjecto potentia Entis neceſſarii eſſe producta.

§. 60. At intelligi nequit, quî ſola voluntate, & potentia Entis neceſſarii queat ſubſtantiarum productio abſolvi? Nihil hæc ignoratio Virum cordatum movere poteſt. Nam ea, quæ ignoramus, nulla ſuppeditare poſſunt argumenta ad ea, quæ ſcimus, revellenda. Materiam, aliaſque contingentes ſubſtantias (Mentes intelligo) non eſſe æternas hinc intelligimus, quod nulla æternitatis & *aſeitatis* habent attributa, quin immo habeant omnia iis contraria, quæ Enti æterno ineſſe debent. Quod vero non intelligamus, qua demum ratione creari potuerint, hoc non efficit, ut de earum origine quidpiam negare poſſimus, ſed tantum ut imbecillitatem noſtræ mentis agnoſcamus (*a*). Recolantur quæ diximus *ont.* §. 12.

ART.

(*a*) *Quo modo ſi quis barbarus horologium intueatur, minime is quidem factum dubitabit, quantumvis ignoret a quo ſit artifice factum, qua ratione, qua arte, qua vi. Ac ſane plurima ſunt in Univerſo, quæ gene-*
rari

ART. III.

Democriti, & Epicuri ſententia refutatur; ubi Mundum potentia, & ſapientia Entis æterni conditum eſſe evincitur.

§. *61.* Quod primo Democriti, & Epicuri ſententiam falſitatis arguit, eſt, atomis, ſeu corporum elementis nullatenus convenire immutabilitatem, ſummam perfectionem, ſimplicitatem &c., quæ ſunt eſſentialia attributa Entis ex ſe, & ſua natura exiſtentis, §. 56. Secundo, hujuſmodi atomi ſenſu ſunt, & omni ratione vacuæ, quin immo ipſarum naturæ pugnat omnino ſenſus, & ratio; id quod ex re alibi perſequemur. Sunt autem in Univerſo Entia ſenſu, & ratione prædita. Cum ergo ex nihilo nihil fiat, neque quidquam fiat ſine congrua ratione ſufficiente, excutere oportet ſenſum hominum communem, quo, ex æterna, brutaque materia Mundum progenitum, quis ſibi perſuadeat.

§. *62.* Deinde quisquis adſpectabilem Mundum vel leviter contemplatur, ſummam partium varietatem, proportionem, nexum, or-

rari nemo ſanus in dubium vocaverit, quamquam omnes ignorent qua ratione generentur. Hominem ex homine, brutum ex bruto procreari, ex ſemine ſemen, nemo ignorat. At quum ventum eſt ad vim rationemque, qua hæc generantur, quot capita, tot ſunt ferme omnium, & quidem doctiſſimorum ſententiæ, fatenturque omnes, ſe in re perdifficili, & perobſcura opinari. Ant. Gen.

dinem, concentum, quibus ſumma & pulcherrima Univerſi harmonia, ſtabilis & ornatiſſima magnificentia continetur, nequit ſatis admirari. Omnia ſummo conſilio, ſummaque ratione ſtatuta deprehendet; ſingula tum maxima, cum minima, numero, pondere, & menſura conſtare; ultra quam intelligentiſſimus quisque adſequi poteſt, quam facile intelliget. Quum itaque omnium quæ ſunt, vel fiunt, nihil ſine ſufficienti ratione ſit vel fiat, pronum eſt intelligere tantam, tamque mirabilem machinationem, non atomorum nullo conſilio, nullaque ratione pergentium opus eſſe, ſed Mentis, ſumma ſapientia, ſummaque ratione utentis. *Hic ego non mirer*, elegantiſsime *Tullius* l. 2. de nat. Deor. c. 27. *eſſe quemquam, qui ſibi perſuadeat, corpora quædam ſolida, atque individua, vi & gravitate ferri, mundumque effici ornatiſſimum, & pulcherrimum ex eorum corporum concurſione fortuita? Hoc qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo, cur non idem putet, ſi innumerabiles unius & viginti formæ literarum vel aureæ, vel qualeslibet, aliquo conjiciatur, poſſe ex his in terram exuſſis annales Ennii, ut deinceps legi poſſint, effici; quod neſcio, anne in uno quidem verſu poſſit tantum valere fortuna.*

§. 63. Sed ajunt in poſſibilibus atomorum combinationibus, hanc, qua præſens Mundus conflatur, contineri. Quid ergo mirum, atomos per immenſam æternitatem hac & illac concurſantes, tandem aliquando in præſentem conformationem deveniſſe?

§. 64. Non heic quæritur, utrum in poſſibi-

bilibus atomorum combinationibus, hæc, qua præſens mundus conflatur, contineatur. Niſi enim contineretur, haud præſens Mundus condi potuiſſet. Sed illud inquirimus, an præſens atomorum conformatio per caſum & fortunam, ut Democrito placuit, ſit poſſibilis; vel per ipſarum atomorum naturale pondus, vireſque, ut Epicuro adriſit. Et ſane primo vellem, edoceret Democritus, vel quisvis ejus ſectator, quid ſibi velit hujuſmodi *Caſus*, & *Fortuna*, qua duce, atomorum facta eſt concurſio? Equidem me non intelligere fateor, fatenturque omnes, queis cor ſapit; ſcilicet verba ſunt inania, quibus nulla ſubeſt notio. Tum atomos æternas naturæ ſuæ vi exiſtentes abſque lege vagari, & invicem concurſari, ſecum ipſum pugnat. Siquidem hæ atomi nonniſi ingenitis viribus, & naturæ ſuæ neceſſitate cieri poſſunt, ſi quidem moventur. Deinde cum nulla omnium ſit origo, tum par natura, & neceſſitas, ſingulæ eadem directione, & celeritate profecto concurrere debent. Quid vero ſive monſtruoſi, ſive ordinati moliri queant atomi communi directione, & celeritate percitæ, equidem non video. Atqui plura in hoc adſpectabili Mundo ſunt centra, circa quæ magna revolvuntur corpora: tum horum ſingula totidem ſunt centra minorum corporum; nec non vegetantium, & animantium elementa diverſis motibus cientur; ſinguli tandem hi motus certis, ſummoque conſilio ſtatutis legibus perficiuntur. Non ergo caſu & fortuna, neque cæca naturæ ſuæ neceſſitate in ordinatiſſimum ſyſtema coaleſcere potuerunt.

Sapienter Cicero *de nat. Deor.* c. 2. 37. *Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam certos cœli motus, tam ratos aſtrorum ordines, tamque omnia inter ſe connexa, & apta viderit, neget in his ullam ineſſe rationem, eaque caſu fieri dicat, quæ quanto conſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus?*

§. 65. Hujus argumenti robur optime perſpexit Epicurus, quod effugere ſibi ſuaſit duplicem atomis tribuendo motum; rectilineum unum ex proprio, & naturali pondere derivantem, & declinationis alterum. At nihil ſtultius excogitari potuit. Sane, ſingulæ ne declinant atomi, vel aliquæ tantum? Si ſingulæ, tantum juvabit Mundi molitionem æqua iſthæc atomorum declinatio, ac ſi nulla foret (*a*). Si aliquæ, eccur non omnes? omnium ſane par eſt natura, & neceſſitas. Deinde unde habet atomus ut declinet, ſive ſingulæ id efficiant, ſive non? *Ob inventum*, dicam Tulii verbis, *vere plumbei ingenii!* (*b*)

§ 66.

(a) Cum atomi omnes ſint natura ſua exiſtentes, ſingulæ æquas vires, eaſdemque virium directiones habebunt. Singulæ porro ſi declinant, æque declinant. Sed æque declinantibus omnibus, fient earum directiones parallelæ, neque unquam atomus in atomum incurret, neque proinde invicem congeri, & copulari poterunt.

(b) Eleganter Cicero l. de fato c. 10. *Quæ ergo nova Cauſſa in natura eſt, quæ declinet atomum? aut num ſortiuntur inter ſe, quæ declinent, quæ non? aut cur minimo declinent intervallo, majore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus, aut tribus? optare hoc quidem eſt, non diſputare. Nam neque extrinſecus impulſam atomum loco moveri, & declinare dicis: neque in illo inani, per quod feratur atomus,*

quid

§. 66. Tandem Mundi ſyſtema corporibus circa data centra ſtabili lege ſe volventibus conſtat. Duabus vero viribus centripeta nempe, & tangentiali has fieri revolutiones inter omnes hodie convenit. Harum altera ſingulis momentis urgentur planetæ, quo per tangentes ſuarum orbitarum diſcurrant. At, ne elabantur, & per immenſa vagentur ſpatia, viribus centripetis cohibentur. Hiſce quidem viribus ſecundarii ad primarios, & primarii ad Solem continuo ſollicitantur, ut ita ſingulis momentis a rectilinea directione virium tangentialium deflectant, & ambarum mutua temperatione in orbem torqueantur. Atqui harum virium, utpote quæ diverſæ ſunt indolis, & ad oppoſita diriguntur, nonniſi altera atomorum naturæ concedi poteſt. Alterius itaque originem unde repetemus? Quare relicto atomis naturali pondere, ut Epicuro placuit, ſeu viribus centripetis, adhuc cogimur agnoſcere præſentiſſimam Mentem ſumma ſapientia, atque potentia præditam, quæ Planetas inſito pondere ſua centra petentes ſemel projecerit, & quidem tanta vi, & celeritate, ut ex utriuſque vis temperatione per apollonianas ellipſes ſtabili lege torquerentur, (c)

 §. 67.

quidquam fuiſſe cauſſæ, cur ea non e regione ferretur: nec in ipſa atomo mutationis aliquid factum eſt, quam ob rem naturalem ſui ponderis motum non teneret. Ita cum attuliſſet nullam cauſſam, quæ iſtam declinationem efficeret, tamen aliquid ſibi dicere videtur: cum id dicat; quod omnium mentes aſpernentur, & reſpuant.

(c) *Hiſce viribus perſeverabunt quidem Planetæ in ſuis orbitis, ſed motum inchoare minime potuerunt.* Vide Newt. *Phil. nat. Sch. gen.*

§. 67. Ex iis, quæ hactenus expoſuimus abunde patet, nonniſi ſummi & intelligentiſſimi Numinis conſilio, atque potentia brutam materiem in elegantiſſimum ordinem congeri potuiſſe, & præſentem ordinatiſſimum Mundum conſtitui. Scilicet ille ipſe materiæ Conditor omnipotens eſt Mundi ſapientiſſimus Molitor, & Artifex.

A R T. IV.

Spinozæ Syſtema abſurdorum & contradictionum eſſe cumulum oſtenditur.

§. 68. I. UNicam in Mundo dari ſubſtantiam ſimplicem, & individuam caput eſt ſpinoziani ſyſtematis. Id vero adeo falſum eſt, quam certum innumera eſſe corpora, & hæc extenſa eſſe, & dividua. Sane sive extenſio pro ſubſtantia habeatur, ſive pro ſubſtantiæ attributo, ſive pro phænomeno e plurium ſubſtantiarum coëxiſtentia derivante (id quod nobis arridet), certe corpora non ſunt unica, & ſimplex ſubſtantia, ſed tot ſubſtantiarum congeries, quot ſunt partes realiter diſtinctæ in quas phyſice reſolvuntur, vel reſolvi tandem poſſunt.

§. 69. II. Juxta Spinozam, ſubſtantia hujus Mundi unica eſt, & ſimplex, quæ tamen inter cætera eſſentialia attributa extenſione ſit prædita. Porro extenſionis natura ſimplicitati opponitur, id quod norunt Omnes: tum, eſſentialia attributa non ſunt quid a rei eſſentia, & ſubſtan-

tia

tia realiter diſtinctum, ſed cogitatione tantum, Qui ergo ſubſtantia unica, & ſimplex reali extenſione conſtabit? Id perinde ſe habet, ac puncto mathematico triplicem dimenſionem tribuere.

§. 70. III. Proſequitur Spinoza: Unicæ illius, & ſimplicis ſubſtantiæ diſtinctæ, & diverſæ modificationes ſunt quotquot diverſa & diſtincta cernimus corpora. Id quale ſit expendamus. Modificationes abſque ullo, cui inhæreant ſubjecto, nec concipi quidem poſſe, in propatulo eſt; §. 25. *ont.* Sed æque evidens eſt, diverſas & oppoſitas modificationes non poſſe ſimul eidem inhærere ſubjecto, ut adeo, ſi quandoque diverſas & oppoſitas recenſeamus modificationes, in totidem numero diſtincta ſubjecta illas rejicere cogamur. (*a*) In Spinozæ autem ſyſtemate una, ſimplex, eademque ſubſtantia tot tantisque ſimul ſubeſt diverſis, ſeque pugnantibus modificationibus, quot diverſa, & diſtincta cernimus corpora: nempe hallucinati ſumus quotquot in deciſis habuimus *impoſſibile eſſe, idem ſimul eſſe, & non eſſe.*

§. 71. IV. Sicuti unicæ, & ſimplicis ſubſtantiæ utpote extenſæ diverſæ ſunt modificationes Univerſi corpora, ita ejuſdem ſubſtantiæ utpote cogitantis diverſæ ſunt modificationes, quot novimus Entia cogitantia. Facile intelligunt

H 4 Ty-

(*a*) Quo tempore ceræ fruſtum ſpærica ex. gr. figura præditum agnoſcimus, cubica, conica, vel alia quavis ſimul affici adeo rationi repugnat, ac unitatem eſse millenarium: proinde ſi quandoque plures intueamur diſtinctas diverſaſque figuras, protinus nulli dubitamus, totidem diſtinctis diverſiſque ſubjectis, ſeu ſubſtantiis illas adjudicare.

Tyrones hoc ſecundum ejuſdem furfuris eſſe, ac illud primum, quod §. præc. expoſuimus. Itaque præſertim vero Unica, eademque ſubſtantia cogitans læta erit & triſtis; volens & nolens idem: amore & odio idem ſimul proſequens objectum; approbans & reprobans &c. Hæbreus ira motus, & Spinozæ cultri ictum inferens, ipſe idem eſt Spinoza dolorem perferens, & ſanguinem ex vulnere emittens.

§. 72. V. Tandem, ne diuturniori mora in hoc abſurdiſſimo confutando ſyſtemate aliquid honoris eidem tribuere videamur, in memoriam revocemus, materiam, ſeu ſubſtantiam hujus Univerſi, ſubjectum eſſe infinitarum viciſſitudinum, perpetuam gerere ſeriem generationum, & corruptionum, perpetuis premi colliſionibus, & oppoſitis agitari viribus. Nil profecto ea vilius & deterius, ut ita omnes Philoſophi veteres prope nihilum eam poſuerint. At eamdem divina conſtare natura, perfectiſſima, & immutabili Spinoza edocere audet. Legatur Baylius *Dict. crit. art.* Spinoza.

CAP.

CAP. IV.

De nexu omnium Mundi Cauſſarum, & effectuum: ubi de Fato juxta Philoſophorum placita diſſeritur.

§. 73. Nihil in Mundo caſu, & fortuna fieri, nec immo fieri poſſe, inter primas cosmologicas veritates reponendum eſſe, Nemo, cui cor ſapit, ambigere poteſt. Omnia ſane ſuis ſufficientibus rationibus, cauſſarumque nexu contineri debent, ſi ex nihilo nihil fieri poſſe conſtat, nihilque eſſe ſine ſufficienti ratione. Confer *ont.* §. 10. Sapienter Tullius *de nat. Deor.* l. 1. c. 4. *Eſt enim admirabilis quædam continuatio, ſerieſque rerum, ut aliæ ex aliis nexæ, & omnes inter ſe aptæ, colligatæque videantur*. Cujuſmodi vero ſit hic Cauſſarum, & effectuum nexus, expendere modo juvat; tum Philoſophorum de fato ſententias ad incudem revocare.

ART. I.

De nexu omnium Mundi Cauſſarum, & effectuum.

§. 74. Quotquot Cauſſas in Mundo novimus, ad duplicem claſſem recenſendæ ſunt: aliæ ſiquidem cogitatione (ad intimum conſcientiæ ſenſum appello); aliæ ſola vi motrice agunt; (quotidia-

næ id edocent obſervationes). Atqui, conſcientia teſtante, cogitatio eſt actio ipſi cogitanti rei immanens; motus vero, experientia edocente, eſt tranſiens. Diverſi ergo generis, diverſæque naturæ habendæ ſunt Cauſſæ cogitatione, & Cauſſæ vi motrice agentes. Equidem alibi opportunius oſtendemus cogitationem non poſſe motu abſolvi, adeoque Cauſſas ſola vi motrice præditas non poſſe cogitationem parere. Cum ergo in Mundo motum, & cogitationem agnoſcamus, duas diverſi generis cauſſas ponere cogimur.

§. 75. Cauſſæ ſola vi motrice agentes ad materiam ſpectant. At materiam ſicuti vi motrice præditam, ita & inertem eſſe, ſuo loco oſtendimus §. 32. Quotquot ergo e materiæ viribus gignuntur, juxta earumdem virium motricium legem efficiuntur, neque alias ac prodeunt, fiuntque, per materiæ vires fieri, ac prodire poſſunt. Revera hujuſmodi lex, quæcumque tandem ea ſit, certa eſt, ac determinata; ſive enim has vires e materiæ ſinu, & natura emanare putemus, & erit earum lex certa & determinata, ſicuti certa, determinata, & ex ſeipſa immutabilis eſt materiæ natura; ſive ex Conditoris arbitrio illas vires materiæ contingenter convenientes inditas eſſe arbitremur, & neque modo poterit materia ex ſeipſa illis exui, vel eaſdem ne minimum quidem modificare; quippe quæ ſubjectum mere paſſivum nullis agitur aliis viribus, præter quas Conditor indidit. Materia igitur ſuarum virium legem, ac naturam perpetuo ſequi debet, neque

vel

vel minimum reniti poteſt: atque adeo quotquot ex ea gignutur, fiuntque, nequeunt aliter gigni, ac fieri,

§. 76. Quæ cum ita ſint, facile perſpicitur, quod poſita pro quovis tempore determinata, ac certa elementorum coëxiſtentia, quod deinde gignitur, phyſica neceſſitate (a virium motricium lege, & e materiæ inertia derivante) e præcedenti rerum ſtatu tale genitum eſt, neque alias gigni poterat. Hoc autem quod modo genitum eſt, undique determinatum eſt tum reſpectu elementorum quibus conflatur, cum reſpectu loci, & temporis, ſeu reſpectu ad nexum, & poſitionem cæterorum corporum, quibus ſtipatur. Quare quod ſecundo hinc gignetur, rurſus certum erit, ac determinatum, & phyſice neceſſarium, ſicuti certa & determinata eſt corporum mutua complexio, horum materiae ſtatus, & nexus, nec non phyſice neceſſaria virium motricium lex. Et ita deinceps in conſequentibus generationibus. Nimirum quivis elementorum materiæ ſtatus gravidus eſt ſubſequentis, neque hic alias prodire per materiæ vires poteſt, ac revera prodit: ut adeo, ſi quis vires ipſas, earumque legem adæquate noſceret, tum elementorum numerum, eorumque pro quovis tempore coexiſtentiam calleret, & ad calculum adducere ſciret, is ſingulos conſequentes effectus, ac futuros eventus in anteceſſum ediſſerere poſſet.

§. 77. Cum ex dictis quævis generatio phyſica neceſſitate e præcedenti corporum, & materiæ ſtatu pendeat, nec non virium motricium le-

lege; ſi cogitatione ad Mundi uſque primordia aſcendamus, facile nobis ſuadebimus, *Univerſum, reſpectu ad ſolam materiam habito, nihil eſſe aliud, quam certum ordinem & neceſſariam ſeriem cauſſarum, & effectuum, perpetuo, ac neceſſario ſe conſequentium*.

§. 78. Hæc autem ſeries haud putanda eſt abſolute neceſſaria, ut ita non potuerit alia eſſe, ab ea quæ modo eſt, aut ſemel incæpta abſolute nequeat modo, vel in poſterum, commutari, vel perturbari. Cum enim quælibet generatio, ſtatuſque materiei pendeat è præcedenti, & rurſus hic ab alio antecedenti, & ita porro: nequeamus autem in hoc progreſſu ad infinitum aſcendere, conſiſtere tandem debemus in aliqua Cauſſa extramundana æterna, vi ſuæ naturæ exiſtente, cujus imperio, & voluntate Materies primum nexum, primamque conformationem ſuſceperit. *Series itaque, & ordo Cauſſarum qualis modo exiſtit, non abſoluta neceſſitate exiſtit, ſed tantum hypothetica*, ex hypotheſi nempe, quod Cauſſa illa extramundana talia huic ſeriei exordia ſua libera voluntate conceſſerit, & non alia, queis omnino diverſa conſequuta fuiſſet Cauſſarum, effectuumque ſeries. Id rurſus intelligi datur ex eo, quod neque materies improducta eſt, & æterna; vi nempe ſuæ naturæ non exiſtit §. 56. *& ſeq.* neque adeo vi ſuæ naturæ conſervatur, at voluntate ejuſdem æternæ extramundanæ Cauſſæ, cujus olim imperio condita fuit, & cujus conſilio conformata. Quare hujuſmet *æternæ Cauſſæ voluntati ſubjicitur, & quod fluere perſeveret*

præ-

præſens Cauſſarum mundanarum ſeries, & quod invariate progrediatur.

§. 79. Cauſſas, quæ cogitatione agunt, ſua ſponte, ſuo conſilio & electione inter plura agere, & quidem propria vi, quam pro lubitu moderantur, intimus cujuſque ſenſus luculentiſſimus teſtis adeſt. Vividum hunc conſtantemque ſenſum, quem merito Naturæ ipſius vocem dixeris, reſpuere, idem profecto eſt, ac inter Pyrrhonijorum caſtra commeare. Neſcio ſane utrum quidpiam aliud tam clare conſtare poſſit, ſicut per interiorem conſcientiam ſua cuique conſtat libertas. Fataliſtæ propterea, ſingulas hominum actiones perpetua, & neceſſaria ſerie contineri, effutientes, ipſi ſibi non conſtitiſſe videntur. Si itaque naturæ ipſius ſenſum, & veluti vocem auſcultare velimus, ſicut profecto debemus, inficiari non poſſumus *nulla neceſſaria ſerie, nulloque indeclinabili nexu humanas actiones devinci.*

§. 80. Duabus itaque Cauſſarum ſpeciebus Mundanum ſyſtema continetur; quarum altera phyſica neceſſitate pergit, altera vero libere, & ex ſuæ rationis conſilio. Cum vero utræque in ſe mutuo agere queant; hinc eſt, ut altera alteram quamſæpe modificet, ut ita *rerum ſeries, ac complexio, quæ modo in Univerſo pergit, aliqua ſaltem ſui parte diverſa ab ea ſit, quæ pergeret, ſi nihil in ſe mutuo Cauſſæ illæ agerent, atque influerent.* Sane

§. 81. Humanos Animos non cæca libidine, abſque ulla omnino ſufficienti ratione ſeipſos

cie.

ciere, & ad agendum determinare, intimus conſcientiæ ſenſus abunde edocet. Formis nempe rerum, quæ aliquam boni, vel mali ſpeciem exhibent, ad agendum excitantur, atque alliciuntur. Sed hæ formæ, quibus animus afficitur, a corporis ſenſibilitate, & temperamento, ſenſuum valetudine, & natura objectorum ſenſus percellentium, pendent. Tum conſilium rationis, quo actio vel non actio decernitur, ex præcedenti animi ſtatu, ſeu habitibus, & ideis adhuc pendet; habitus vero, & ideæ ex corporis, ſenſuumque temperamento, & circumſtantium objectorum actione rurſus conſtituuntur, vel modificantur. Cum porro corporis ſenſibilitas, & temperamentum, ſenſuum valetudo, & circumſtantium objectorum natura e neceſſariis Mundi Cauſſis pendeant; liquet inter ipſas Hominum actiones, & phyſicum Mundi ordinem nexum aliquem intereſſe.

§. 82. Hic autem nexus, quod ſedulo animadvertatur velim, & multiplex eſſe poteſt, eo quod multiplices ſunt cauſſæ; quæ in nos agere poſſunt, & nullus eſt indeclinabilis, ac neceſſarius: id quod intimus conſcientiæ ſenſus, & noſtrarum actionum experientia ſat luculenter oſtendunt. Sane formis rerum non rapitur animus, utcumque percellatur: etſi validioribus formis animus concitatus ad agendum, non cogi ſe luculenter animadvertit, & adhuc retinere facultatem deliberandi, quin immo a facta deliberatione, & ab ipſa jam ſuſcepta actione deſiſtendi, & aliam quamlibet edendi. Merito Tullius *tusc.* 99. l. 1. c. 23. *Sentit animus*

mus ſe moveri, *idque dum ſentit*, *illud & una ſentit*, *ſe vi ſua non aliena moveri*. Accedit, quod quandoque datum peculiarem nexum humanas inter actiones, & ſenſationes omnino abrumpimus nulla alia ratione perciti, quam ut noſtram experiamur libertatem; puta, cum agimus contra id quod temporis, loci, objectorumque circumſtantiæ, & ipſæ ſenſationes exigere videntur. *Datur itaque nexus inter hominum actiones, & phyſicum Mundi ordinem, ſed ejusmodi, ut illum moderari, flectere, determinare, abrumpere, tum iterum reſtituere pro arbitrio poſſimus*.

§. 83. Siculi humanæ actiones cum neceſſariis Mundi cauſſis connectuntur, ita *materialium, & neceſſariarum Mundi cauſſarum series in aliqua sui parte, perturbari, moderari, & flecti poteſt Cauſſarum liberarum lubitu, & providentia*. Cum enim omne id, quod materialium cauſſarum viribus gignitur pro quovis tempore, e ſtatu præcedenti pendeat § 76.; ſtatum autem harum materialium cauſſarum perturbare, & commutare perſæpe valeant Cauſæ liberæ ſuo conſilio, & providentia pro peculiari ſaltem loco, & tempore; quin ſimiliter futuri conſequentes effectus præpediri, perturbari, & commutari poſſint, nemo profecto non intelligit. Ita fulmen, quod neceſſariis Mundi cauſſis e nubibus excuſſum regium palatium labefactaret, ibique degentes enecaret, humana poteſt providentia avertere, ſi opportunos adhibeat conductores. Agrum

ſi

Agrum ſi rite colat induſtrius, ſolerſque Colonus, uberem ſegetum copiam ſuo tempore colliget, & de horreis frumento abundantibus gaudebit, quæ tamen vacua deplorabit ſi parcus, & incurioſus. Idem de innumeris aliis dicas. Equidem ſæpe numero vanæ ſunt hominum providentiæ, ſive id noſtra fiat ignoratione, & errore, ſive materialium cauſſarum vi, vires noſtras exſuperante; in dubium tamen revocari non poteſt, plurima poſſe humano conſilio & flecti, & moderari.

§. 84. Cauſsarum nexus, & ordo, de quo hactenus, ſolet a Nonnullis appellari *Fatum Chriſtianum*. Illum ad Divinam ſpectare Providentiam, Nemo ambigere poteſt. Sed de hac re alibi opportune.

ART. II.

Philoſophorum de fato ſententiæ enarrantur, atque refutantur.

§. 85. *FAti* nomine intelligitur immutabilis, ac neceſſaria omnium Mundi cauſſarum, atque effectuum ſeries, tam arcte inter ſe connexarum, ut nec ullum in ea ſit chaſma, neç ulla queat interruptio moliri. Notio itaque fati duo complectitur. I. Ordinem, ac nexum omnium Mundi Cauſſarum, ac effectuum perpetuo ſe conſequentium; II. hujuſce ordinis, nexus, & conſecutionis cauſſarum immutabilitatem, & neceſſitatem.

§. 86. Quotquot fatali neceſſitate, quæcunque fiunt

fiunt, et eveniunt, procedere putant, ad tres commode claſſes revocari poſſe cenſet eruditiſſimus Cudworthus. Prima eorum eſt, qui Deum negantes, phyſicam, & naturalem rerum omnium neceſſitatem inculcant. Secunda eorum, qui Supremum Numen res omnes æterna, & immutabili lege, nullius rei habita ratione, decreviſſe docent; neque propterea quidpiam a nobis libere ſuſcipi poſſe. Tertia claſſis illos complectitur, qui Deum ſapienter quidem, verum fataliter ac neceſſario res omnes hujus Univerſi diſpoſuiſſe ſentiunt, & ex hac conſtitutione omnia quotquot in Mundo fiunt, neceſſaria & perpetua ſerie proficiſci. At quia fati Aſſertores diverſas, quo quiſque ſuam ſententiam conſtabilitet, ſemitas ſreſſerunt, idcirco non pigeat præcipuas exponere, ac evertere.

De Fato Democritico.

§. 87. Democritus (e quo fatum quod *democriticum* dicitur nomen ſuſcepit) nihil aliud præter innumeras atomos increatas, & perenni motu percitas, ab æterno extitiſſe putavit. Hæ atomi ex ejus ſententia feruntur quo feruntur, brutæ enim ſunt, & neceſſitate ſuæ naturæ aguntur. Ab immenſa itaque æternitate perpetuo concurſantes, pluries convenerunt, totidemque mundos ſunt molitæ, alios quidem monſtruoſos, & informes, alios non item. At quia in ſingulis hiſce conformationibus materiæ vires plenum æquilibrium non fuerunt conſequutæ, hinc negatum ſtare diu; nempe collapſi ſunt,

ac diſſoluti ſinguli illi veteres Mundi. Poſtremus tandem omnium emerſit hic adſpectabilis, & ipſe poſt ſæcula diſſolvendus. In hac itaque ſententia, cum nihil præter brutam materiam neceſſitate ſuæ naturæ percitam exiſtat, omniaque ſingularia Mundi entia neceſſariæ ſint illius modificationes, immite, & indeclinabile fatum omnia agere perſpicuum eſt. Hoc fatum, quod *phyſicum* alii appellant, definiri poteſt: Neceſſaria, & bruta ſeries omnium Mundi cauſſarum, atque effectuum e natura, & neceſſitate brutæ materiæ manans.

§. 88. Monſtruoſæ hujus ſententiæ refutatio longa non indiget oratione; eſt ea quippe congeſtus abſurdorum. Nequit materia eſſe increata §§.56. *& ſeq.*II.Nequeunt ſolæ materiæ vires ex ejus ſinu emanantes ordinatiſſimam, & nunquam ſatis admirandam Mundi compagem moliri §§.61. *& ſeq.* III. Præter materiam aliæ alius naturæ ſubſtantiæ cogitatione, & libero arbitrio præditæ exiſtunt. §§. 79. *& ſeq.*

§. 89. Equidem hujus ſententiæ abſurditatem Epicurus, atomorum cæteroquin ſectator, agnovit ex ea parte, quæ humanam lædit libertatem. Quare illam emendare conatus, atomis tribuit declinationis motum, qui nec certo tempore, nec certa loci regione eveniret: ita nimirum abſoluta, & indeclinabilis neceſſitas a Democrito inducta abrumpi opinabatur. *Hanc rationem* (declinationem ſcilicet atomorum) *Epicurus induxit ad eam rem, ne ſi ſemper atomus gravitate ferretur naturali ac neceſſaria, nihil liberum nobis eſſet, cum ita moveretur animus, ut*

ato-

atomorum motu cogeretur. Tullius de fato c. 10. At quam vanum, & inficetum ſit hujuſmodi effugium, nemo non videt. Conſulatur §. 65.

De Stoicorum Fato

§. 90. Fatum Stoicorum vulgo definitur, ineluctabilis, ac neceſſaria rerum omnium ſeries ex neceſſaria, & immutabili Dei voluntate conſtituta, ſine ulla ad humanam libertatem accomodatione.

§. 91. Quid fati nomine ſibi voluerint Stoici, res eſt perobſcura adeo, quam nequiverint hactenus Eruditi extricare; id quod partim ſolitæ hujus Sectæ diſſentioni, partim locutionibus neſcio quid poëtici, & emphatici continentibus tribuendum videtur. *Seneca*, quem Stoicum fuiſſe ambigi nequit, ita ſuam explicat mentem. *Eadem neceſſitas & Deum alligat; irrevocabilis divina pariter, & humana curſus vehit; ille ipſe omnium Conditor, ac Rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur; ſemper paret, ſemel juſſit. l. de provid. c.* 5. Tum hoc ipſo loco: *Olim conſtitutum eſt quid gaudeas, quid fleas. Fata nos ducunt; & quantum cuique reſtet, prima naſcentium hora diſpoſuit*. Juſtus Lipſius *phyſiol. ſtoica l.* 1. *diſſ.* 2. Stoicorum fatum ab omni labe purgare aſſumpſit, illudque cum Divina Chriſtianorum Providentia comparare non dubitavit. Scilicet noluiſſe Stoicos quidquam divinam libertatem lædere, ſed eo neceſſitatis vocabulo neceſſitatem moralem, ſeu quam dicere ſolemus *convenien-*

tiæ, & *juſtitiæ* adſtruere. Equidem ipſe Seneca *qq. nat.* l. 2. *præf.* inquit. *Majeſtatis diminutio eſt, & confeſſio erroris mutanda feciſſe. Neceſſe eſt enim ei eadem placere, cui niſi optima placere non poſſunt: nec ob hoc minus liber & potens eſt. Ipſe enim eſt neceſſitas ſua.* Thomaſius contra acerrime Stoicos univerſim inſectatus eſt, eoſque atheiſmi inſimulavit; id quod nonniſi iniquius factum videtur (*a*). Certe Stoichs fuit Balbus, qui evidentiſſime contrarium ſenſit; ita ſane apud Ciceronem: *Non eſt natura Dei præpotens, & excellens, ſi quidem ea ſubjecta eſt ei vel neceſſitati, vel naturæ, qua Cœlum, maria, terræque reguntur. Nihil autem eſt præſtantius Deo. Nulli igitur eſt naturæ obediens, aut ſubjectus Deus. De nat: deor.* l. 2. c. 30. Vides quomodo Dei naturam a phyſica, & abſoluta neceſſitate Balbus vindicat. Sed nolim ego hanc quæſtionem dirimere.

§. 92. Stoicorum fatum, ut ſupra definitum eſt, falſum & abſurdum eſſe, nemo non videt; pugnat quippe cum divina, æque ac humana libertate. De fato, huic Stoicorum ſimillimo, quod ex divina & æterna rerum omnium prænotione derivare alii commenti ſunt, alibi opportunius differemus.

De Fato mathematico, ſeu aſtrologico.

§. 93. Fatum mathematicum, (quod aſtrologicum, & genethliacum quoque audit) eſt ab-

(a) *De exiſtent. Mundi Stoica diſſ.* 13.

abſoluta rerum omnium, ac eventuum neceſſitas, ex ſiderum immutabili ac efficaci actione dependens. Nempe vetuſtiſſima Gentium fere omnium ea fuit perſuaſio, hominum ingenia aſtrorum vi fingi, reſque ſublunares omnes influxu ſtellarum inexorabili fato regi.

§. 94. De hujus fati originibus nihil eſt quod multa diſputentur. Moshemius in Cudworthum c. 1. §. 2. *nota b* ita habet. *Certum eſt antiquiſſimis perſuaſum eſſe populis, dæmones ſive Deos ineſſe in ſideribus, qui curſus eorum moderentur, ac dirigant . . . . . Iidem vetuſtiſſimi populi Deos res humanas curare, nihil dubitarunt. Junge hæc duo*: Dii rebus humanis provident, & aſtra ſedes ſunt Deorum, *nec quæres, ut arbitror, amplius, unde ad inſanam banc opinionem antiquiſſimæ gentes delapſæ ſint, aſtrorum lege ac virtute, quæ fiunt, univerſa fieri.*

§. 95. At non defuere, qui rejecta aſtrologica neceſſitate, ſiderum virtutem alias interpretati ſint. Simplicius ita rem explicat. *Animum humanum nulla re cogi, ſed plane liberum eſſe: at corpus, quo cingi debet animus, tale fingi, qualis ſiderum eo tempore, quo conſtruitur, cælique ſtatus eſt. Igitur ſi aſtrorum periti tempus illud calleant, quo quis conceptus, ac natus eſt, ſcire quoque eos poſſe, quemadmodum corpus hominis affectum, quibuſque præditum ſit propenſionibus. Quumque animi plerumque corporum inſtinctui obtemperent, neque libertate ſua utantur, idcirco eos plerumque ex aſtris de tota hominis natura, indole, & appetitionibus judicium ferre poſſe. Moſhem. loc. cit. nota m.*

§. 96. Alii vero Deum ſiderum curſus, & multiplices motus adeo accomodaſſe perhibent, ut ex illis certæ divinationum conjecturæ a peritis fieri poſſint. Sic Origenes, aſtra non efficere, quæ inter homines fiunt, ſed portendere, cælumque divini voluminis inſtar eſſe cenſuit, cujus litteras, & ſcripturam, qui calleant, eos, futuros in illis eventus legere, & præſentire poſſe. Nempe Philoſophis iſtis nimis levia & exigua videbantur, quæ de phyſica ſiderum virtute in hunc orbem feruntur. In expoſitam vero ſententiam delapſi ſunt hoc potiſſimum momento, quod eis viſum eſt maximum. Deus, inquiebant, neque ſtellas, neque quidpiam cæterarum rerum, quibus rerum natura continetur, fruſtra condidit, ſed omnia propriis hominum commodis. At conſequi nequit, quidnam in ſtellis ſit, quod humanis rebus valeat opportunitatem aliquam adferre, niſi quamdam habeant humanarum rerum præſignificationem. Itaque futurorum eventuum præſagia in ſtellis contineri dicendum eſt.

§. 97. Sed quam futile iſtud ſit, nemo non videt. Sane non minus inſcite, quam arroganter cogitari potuit I. Deum cæleſtia ſigna, nonniſi noſtris propriis commodis inſervienda condidiſſe. II. Cum conſequi non valeamus, quam utilitatem illa queant nobis afferre, temere, & incogitanter colligitur, ad præſignificandos futuros eventus conſtituta, & diſpoſita fuiſſe. Numne plurimarum rerum ad ipſam tellurem noſtram pertinentium, quæque proprius nos ſpectare putandæ ſunt, fines proximos minus ex-

plo-

ploratos habemus? Certe quilibet ſanæ Mentis libenter affirmabit, plurima noſtram ſpectare utilitatem poſſe, quin reſciamus modum, rationemque calleamus. III Atqui ſunt Planetæ totidem incolarum ſedes non ſecus ac Tellus noſtra, qui omnes circa Solem, tanquam commune centrum, torquentur §. 5. Sunt vero inerrantia ſidera totidem Soles, nempe centra aliorum Syſtematum planetariorum *ibid.* Sed de his in phyſicis opportunius, & copioſius.

§. 98. Quam vero fatuum, atque commentitium putandum ſit ſidereum fatum, ſequentia oſtendunt. I. Nulla phyſica vi hominum Animi cogi poſſunt; ſolis illi percientur formis, nempe boni, malique notionibus: tum neque iſtis rapiuntur, nec indeclinabiliter flectuntur §§. 79. & 82. II. Quid ſint Planetæ, quidve inerrantia ſidera novimus tandem; at quid in tellurem immittere valeant, ne ſuſpicari quidem poſſumus. III. Deſcendat vero aliquid (liberaliſſime modo cum adverſariis agamus): quidquid illud ſit, equidem nihil efficere poterit ultra id, quod efficiunt ſive major, ſive minor luminis copia, ſive aliqua minima quævis in aëris conſtitutione alteratio. Num ne hujuſmodi cauſſæ pares ſunt flectendis animis, moderandisque indeclinabiliter ſingulis effectibus? *Nam, quod ajunt, genitura ipſa mores in nobis aſtrorum fingi, Saturni graves, ac tetros, Jovis elegantes, & generoſos, Martis feros, atque truculentos, laſcivos Veneris, lenonios Mercurii, Apollinis tandem, ſeu Solis muſicos, poëticos, divinos; quam ſunt hæc lepida! Neque enim eſ-*

ſe puto niſi pueros, qui ad globos illos terraqueos, aut igneos hæc ſerio referant. Omnem vero lepiditatem ſuperat, quod inſani impoſtores prædicant, quum ingenium noſtrorum animantium Arietis, Tauri, Leonis, Capri, atque id genus aliorum cæleſtibus conſtellationibus attribuunt. Cui Cælum, Planetæ, Stellæ fixæ vel mediocriter notæ fuerint, quam iſthæc perridicula, ac putida videri debent? Ego vero neſcio, cur marmoreis ſignis, quibus aut homines, aut animantia ars humana exprimit, non ſimiliter mores noſtros, aut brutorum animantium tribuamus? Ant. Gen. el. metaph. tom. 1. *Schol. prop.* 189.

§. 99. Atqui in majoribus Univerſi corporibus univerſalem, & mutuam vim agnovimus, quæ *gravitationis* vulgo dicitur! Hac equidem invicem inter ſe agere queunt, & generationum ſeries, quas ſingula illa geſtant, invicem modificare. Fatemur univerſalem gravitationem corporum Univerſi: ſed nihil iſthæc ſententiæ adverſariorum favet, quin immo eam evertit. I. Hæc vis corporum eſt, & in corpora diffunditur; ſpiritus nullo pacto attingere poteſt. II. Novimus illam ſequi maſſarum directam, & diſtantiarum duplicatam inverſam rationem; fit profecto hinc, ut ſi Solem, & Lunam exceperis, cæterorum planetarum nulla cenſenda ſit in Tellurem actio: quid porro inerrantium ſiderum? (a) De

(a) Solem & luminis emiſſione, & vi attractionis in Tellurem agendo quam maxime terreſtres generationes, corruptioneſque moderari, res eſt, quæ omni dubio caret. Simile regimen Lunæ attribuerunt Majores noſtri, ut

De Fato pantheiſtico.

§. 100. Fatum pantheiſticum, ſive Spinoziſticum eſt rerum omnium neceſſaria, & immutabilis ſeries ex ipſa Dei natura per eſſentialem emanationem neceſſario profluens; Nempe hujuſce fati aſſertores unicam exiſtere ſubſtantiam ponunt, quam Deum appellant, cujus innumeræ ſunt modificationes quotquot Entia Mundum conſtituunt; has vero modificationes, earum-

ut adeo fuerint lunarium phaſium diligentiſſimi obſervatores: tum Cometas, malorum colluviem in Tellurem ſive præſagientes, ſive afferentes, habebant, metuebantque cane pejus, & angue. At ex Recentioribus plures utramque ſententiam, præjudicii redarguentes, ludibrio exceperunt. Quid ſentiam libere ediſſeram.

I. Qui lunarem influxum abſolute inter præjudicia amandarunt, ſatis animum non intendiſſe videntur in maris æſtus, qui Lunæ motui circa Tellurem ad amuſſim, reſpondentes, ex ejuſdem attractione in aquas uſque maris protenſa, omni procul dubio repetendi videntur. Quod ſi ita ſe habet, non video eccur ipſius Lunæ vi nequeat terreſtris atmoſphæra alternas pati viciſſitudines. Cum vero e ſtatu, & conſtitutione atmoſphæræ plurimum modificari queant, quæ in noſtra Tellure fiunt productiones, profecto prono veluti alveo fluit, Lunæ vim phyſicis productionibus aliquid conferre poſſe. Revera terreſtrem atmoſphæram Lunæ vim perſentiſcere ex meteorologicis obſervationibus Cl. Virorum Abbatis Friſii, & Thoaldi, aſtronomiæ Profeſſoris Patavini conſtitit; ut adeo nonniſi ex præjudicio ſententia lunaris influxus abſolute inter præjudicia recenſita videatur. Deinde, etſi me minime lateat, Lunæ plenæ lucem cauſtico ſpeculo collectam nullam in mobiliſſimo thermometro mutationem afferre, tamen haud confectum videtur, lucem e Luna in Tel-

rumque ſeriem ex ejuſdem unicæ ſubſtantiæ naturą eſſentialiter & neceſſario fluere. Vide §. 46. Hujuſce fœdiſſimæ labis parentem faciunt Xenophanem Eleaticæ ſectæ Principem, quam de-

---

Tellurem repercuſsam nil vegetantium, & animantium œconomiæ præſtare poſse: nam thermometrum nonniſi *calorici* liberi actionem oſtendere, & metiri poteſt; at novimus, lucem aliud omnino eſse a calorico, & plurimum conferre vegetantium, & animantium phyſi, ac hactenus credidimus. Nolim vero quis ex dictis inferat, me lunaris influxus patronum eximium, referatque inter adverſæ immoderantioris ſententiæ fautores. Ecquis, cui cor ſapit, calculo ſuo probabit, quæ effutire ſolent inſani & inficeti homines ex ſingulis Lunæ quadraturis, terreſtrium phænomenorum vel viciſſitudines, vel præſagia ſumentes? Quam ego Lunæ actionem in Tellurem agnoſco, generalis prorſus eſt, & natura ſua indeterminata, nec non una eſt, & quidem minima ex innumeris cauſſis in Tellure hoſpitantibus, quæ præſertim in calculo ſingularium phænomenorum aſsumendæ perpetuo occurrunt.

II. Quod vero Cometas ſpectat, nullus certe, niſi excors pavebit hæc corpora per oblongas ellypſes incedentia, nec ab iis quidquam boni, malive ſperabit, metuetque. Fieri autem quandoque poſse, ut in laudatum influxus ſyſtema aliquis eorum adcenſeri mereatur, ultro fateor. Etenim fieri poteſt 1. ut aliquis eorum longa inſignitus cauda ſuam trajiciens orbitam in Telluris vicinia verſetur; ex quo fiet, ut mutuis attractionibus eorum atmoſphæræ turbentur. Dudum ſane Aſtronomis conſtitit Saturni ſatellites ab attractione Jovis in conjunctione poſiti, in ſuis turbari motibus, & viciſſim. Ita ex vicinia Cometæ turbari poterit Telluris motus, ad minimum ejus atmoſphæra affici. 2. Aliqua cometicæ caudæ pars, ipſius lege gravitationis in atmoſphæram terreſtrem illabi poteſt, quæ proinde cometicis referta effluviis aliam, atque aliam aſsumere poterit conſtitutionem.

deinde contraxere Parmenides, Melliſus, Zeno, & quam ad Pythagoreos, & Stoicos plures derivaſſe, ſcribit Buddeus *diſſ. de Spinoz. ante Spinoz.*

§. 101. Quam impia, & abſurda ſit iſthæc putida ſententia ex iis, quæ præſertim *art.* 4. *c.* 3. diſputavimus luculentiſſime patet, ut adeo nihil addere heic putemus, ne rem actam reagere videamur.

C A P.

De Naturali, & Supernaturali.

§.102. QUævis mutatio, quæ cuilibet rei contingere poteſt, ſi ex principio ipſi rei interno manat, *actio* appellatur; e contrario *paſſio* dicitur, ſi a principio eidem externo fiat, nempe ex principio alteri Enti inſito; illud vero principium, e quo actio manat, *activum* nuncupatur.

§. 103. Singula ſpectabilis Mundi Entia continuas ſubire mutationes, equidem cuique conſtat. Quare ſimplices hujus mundi ſubſtantiæ ejuſmodi eſſe debent, ut in ſuis occurſibus, & incurſibus pati queant, & agere; ſeu patiendi potentia præditæ eſſe debent, & principio aliquo activo, ſeu vi gaudere. Non moror quidquid in contrarium afferunt Occaſionaliſtæ ſecundæ hujus theorematis parti. Vide *Ont.* §§. 125. *& ſeq.* Certe Univerſum Philoſopho nullis præjudiciis præoccupato in ſingulis ſuis partibus perpetua objicit activitatis argumenta; atque adeo dubitare nullo pacto fas eſt, ejus ſtamina vi acti-

aƈiva prædita eſſe. §§. 29. 35. & ſeq.

§. 104. Principium aƈivum Enti internum cum patiendi potentia copulatum, dicitur ejuſdem Entis *natura*. Ita ex. gr. natura plantæ eſt principium, ſeu vis aƈiva plantæ intimam ſuam ſubſtantiam pervadens, qua viget, effloreſcit, fruƈus gerit &c., & patiendi potentia, qua ſubditur aƈioni externarum cauſſarum, puta lucis, aëris, &c.

ART. I.

De Natura generatim, ubi quid ſit naturale edocetur.

§. 105. QUoniam Univerſum inſtar totius conſideratur compleƈentis omnia, & ſingula entia: pronum eſt, ex naturis ſingulorum Entium notionem effingere univerſalis cujuſdam naturæ per omnia fuſæ, & Univerſum percientis. Hæc itaque notio (quod perdiligenter animadvertatur velim), nihil reapſe eſt aliud, niſi generica quædam aƈivitatis notio ex aƈivitate ſingularium mundi entium mentis abſtractione comparata. Ita, quam dicimus plantæ, animalis &c. naturam, neque eſt anima quædam ſingularis, & per ſe conſtans, plantam, animal &c. pervadens, & veluti fuſa per iſthæc entia compoſita; ſed eſt activitas, quæ conflatur ex activitatibus ſe invicem modificantibus ſingulårum ſimplicium ſubſtantiarum, quæ plantam, animal &c. conſtituunt.

§. 106. Jam vero quampluribus non ſat cau-

cautis, a propriæ imaginationis illuſione abreptis, univerſalis naturæ nomine non idolum noſtræ mentis intelligendum eſſe placuit, ſed ſubſtantiam a ſingulis mundanis rebus prorſus diſtinctam, per ſe conſtantem, intime omnia pervadentem, & Univerſum percientem. Hanc principium *Hylarchicum*, *Archeum* Mundi, *Entbelechiam*, *Animam* denique *mundanam* appellarunt. Nimirum Philoſophi iſti Mundum veluti ingens Animal habuerunt ex Anima, & corpore conſtantem; & ex ejus Anima ſingulas fieri, quas obſervamus, rerum generationes, atque corruptiones. Sed in definienda hac Natura, ſeu anima mundana ipſi ejus Patroni in diverſas abiere ſententias. Fuerunt qui commentitiæ animæ genus inveſtigantes uſque adeo hallucinati ſunt, ut eam Deum ipſum eſſe definierint, ut ita Deus ſit Mundi Mens, & Mundus Corpus Dei. Hos ſi Pantheiſtis aſſidere affirmes, profecto non falleris. At Cudworthus, (*a*) doctiſſimus equidem Vir, univerſali naturæ & ipſe favens, *genitricem* & *fictricem* hanc appellavit, eique id muneris a ſuo Conditore commiſſum ſtatuit, ut materiæ diſpoſitionem, temperationem, & gubernationem fataliter moliatur: tum ordine, & ratione omnia gerere iſtam genitricem naturam poſuit, ipſam vero conſilio, ratione, & intelligentia carere. Sed nihil ſolidi protuliſſe viſus eſt Cl. Vir, quo hanc ſuam

(a) In *Diſſertatione de natura genitrice*, quæ legitur poſt cap. 3. *Syſt. intel.*

ſuam conſtabiliret ſententiam. Legatur Moſhemius *in notis loc. cit.*

§. 107. Quotidiana edocemur experientia ſingularum rerum generationes, & corruptiones ſub determinatis quibuſdam, ac conſtantibus conditionibus fieri, nec non determinato quodam, ac conſtanti modo. Determinatus hicce modus, quo rerum fiunt generationes atque corruptiones, determinatæ iſtæ &, conſtantes, quæ requiruntur, conditiones, id ſunt, quod *Ordinem naturæ* appellamus; & conſequutionem rerum juxta hunc ordinem evenientium, *naturæ curſum* dicimus.

§. 108. Cum nullus ſit Ordo abſque ordinis regula §. 132. *Ont.*, pronum eſt intelligere, dari regulas ſeu normas quaſdam, juxta quas Vires Entium hujus mundi perpetuo agant. Equidem ſi nullæ hujuſmodi ſtatutæ forent normæ a Supremo Conditore, nullus conſiſtere poſſet ordo, ſed Chaos perpetuum regnaret. Hæ normæ, ſeu ordinis regulæ *leges naturæ* appellantur. Hinc quivis effectus a naturis, ſeu viribus Cauſſarum ad hocce Univerſum ſpectantium, & juxta præfatas leges agentium editus, *naturalis* appellatur.

§ 109. Jam vero ſicuti quinam, qualiſque ſit Mundi Ordo, nonniſi conſtanti obſervatione, & experientia innoteſcere poteſt; ita Entium hujus Mundi vires, harumque virium leges, quibus ordo ille continetur, nonniſi ex obſervationibus, & experimentis eruendæ veniunt. Equidem noſtrum erat generaliſſimas, & ſingulis corporei Mundi Entibus maxime communes le-

leges cap. II. exponere. Sed quæ cujuſque rei ſunt peculiares, ac propriæ, ad phyſicos ſpectant. Hinc qui phyſicis facultatibus ſedúliorem navant operam, ii, accuratius, & acutius rerum naturam, naturæque leges callentes, quid in peculiari caſu naturale ſit, quid non item, tutius dijudicare valent.

A R T. II.

De Supernaturali; ubi de Miraculis generatim.

§. 110. QUivis effectus e viribus Entium hujus Mundi haud pendens, *ſupernaturalis* appellatur.

§. 111. Ut igitur dignoſci poſſit an datus effectus ſupernaturalis ſit, oportet aliqua pateat ex ſequentibus conditionibus. I. Nullam eſſe in univerſa natura cauſſam tanta vi præditam, quæ illi effectui producendo potis ſit. II. Saltem in dato caſu hujuſmodi cauſſam defeciſſe. III. Effectum illum eſſe contra notas naturæ leges; IV. præter notum, conſuetumque ordinem. Nam cum rerum naturæ certæ ſint ac determinatæ, certaſque ſingulæ ſequantur leges; a quibus ne hilum quidem dehiſcere poſſunt; quoties una, aut altera ex dictis conditionibus in dato effectu occurrat, certi erimus ad univerſam naturam illum haud pertinere. Quare iterum patet, ſedula opus eſſe indagine, & accurata rerum naturalium notitia ubi decernendum ſit de naturali, & ſupernaturali. Multa quandoque inſanum Vulgus inter ſupernaturalia ad-

cen-

rum hujus mundi vires cohiberi poſſe, quin ſuos edant effectus, nil vetat: ipſa ſane experientia perpetuo edocet, contrariarum cauſſarum incurſibus vires collidi, ut ita vel effectus earum præpediantur, vel omnino alii conſequantur. Quare, quin etiam intrinſecus ſubſtantiatiarum vires deleantur, coërceri illas poſſe a Cauſſa extra naturam univerſam poſita, ne ſuos gignant effectus, intrinſecus eſt poſſibile. In hac porro hypotheſi effectuum conſequutio plane contraria eſſet conſueto naturæ ordini. Quare iterum conficitur, miracula intrinſecus eſſe poſſibilia.

§. 116. Quod vero ad extrinſecam miraculorum poſſibilitatem adtinet, ille tantum negare eam poteſt, qui præter materiam nil aliud exiſtere ſtulte præſumit, cujuſmodi ſunt Spinoza, & Athei cæteri. Simulac vero, recta cogente ratione ponimus, præter ſpectabilem mundum Mentem eſſe æternam ipſius Mundi Opificem, infinitam, omnipotentem, pleno & ſummo jure in res a ſe creatas præditam, nihil dubitare poſſumus, hujus vi, & actione innumeros edi poſſe effectus & contra, & ſupra Naturæ ordinem. Luce igitur meridiana clarius elucefcit cum interna, tum externa miraculorum poſſibilitas.

§. 117. Sed audiamus Rouſſojum adverſariis, quibuſcum agimus, non ſuſpectum certe auctoctorem, *epitr. 3. écrit. de la Montaigne. Poteſt ne Deus miracula efficere, ideſt poteſt ne legibus ab ipſo ſtatutis derogare? Hæc quæſtio ſerio pertractata impia foret, niſi eſſet abſurda.*

Ni-

Nimium honoris, ei, qui illam negative ſolveret, flagris tribueretur; ſatis eſſet inter inſanientes eum concludere. Re quidem vera, Ecquis unquam inficias ivit, Deum poſſe miracula perpatrare? oportebat Hæbreum eſſe, ut quæreretur, an Deus poſſet in deſerto menſam parare.

§. 118. Atqui, quam futilia ſint, & ridicula, quæ contra miraculorum poſſibilitatem objiciunt profani homines, operæ pretium eſt expendere. I. Inquiunt, miracula Dei opponuntur immutabilitati: qui enim Deus immutabilis conſiſteret, ſi naturæ ordinem a ſe ſtatutum mutaret? Accedit quod majeſtatis deminutio eſt, & confeſſio erroris mutanda feciſſe.

II. Miraculum eſt legum mathematicarum, divinarum, immutabilium, æternarum violatio; quare miraculum expreſſam involvit contradictionem.

§. 119. Sed facilis ad hæc reſponſio. I. Sicuti Deus æterno ſuæ ſapientiæ conſilio, æternoque ſuæ voluntatis decreto naturæ ordinem ſancivit, ita eodem conſtituit, pro certo futuro tempore peculiarem in aliqua univerſæ naturæ parte ordinis mutationem inducere. Summa equidem providentia, & numquam ſatis laudanda! ut nimirum ſopiti mortalium Animi eventuum inſolentia commoti; tum cauſſarum naturalium impotentiam animadvertentes, quæ Supremum Numen conſilia panderet, venerabundi adorare moneantur. Hinc patet, miracula nedum nihil Divinæ immutabilitati occurrere, ſed inſuper Divinam Sapientiam, Majeſtatem, ac Bonitatem ſummopere commendare.

rumque ſeriem ex ejuſdem unicæ ſubſtantiæ natura eſſentialiter & neceſſario fluere. Vide §. 46. Hujuſce fœdiſſimæ labis parentem faciunt Xenophanem Eleaticæ ſectæ Principem, quam de-

---

Tellurem repercuſsam nil vegetantium, & animantium œconomiæ præſtare poſse: nam thermometrum nonniſi *calorici* liberi actionem oſtendere, & metiri poteſt; at novimus, lucem aliud omnino eſse a calorico, & plurimum conferre vegetantium, & animantium phyſi, ac hactenus credidimus. Nolim vero quis ex dictis inferat, me lunaris influxus patronum eximium, referatque inter adverſæ immoderantioris ſententiæ fautores. Ecquis, cui cor ſapit, calculo ſuo probabit, quæ effutire ſolent inſani & inficeti homines ex ſingulis Lunæ quadraturis, terreſtrium phænomenorum vel viciſſitudines, vel præſagia ſumentes? Quam ego Lunæ actionem in Tellurem agnoſco, generalis prorſus eſt, & natura ſua indeterminata, nec non una eſt, & quidem minima ex innumeris cauſſis in Tellure hoſpitantibus, quæ præſertim in calculo ſingularium phænomenorum aſſumendæ perpetuo occurrunt.

II. Quod vero Cometas ſpectat, nullus certe, niſi excors pavebit hæc corpora per oblongas ellypſes incedentia, nec ab iis quidquam boni, malive ſperabit, metuetque. Fieri autem quandoque poſse, ut in laudatum influxus ſyſtema aliquis eorum adcenſeri mereatur, ultro fateor. Etenim fieri poteſt 1. ut aliquis eorum longa inſignitus cauda ſuam trajiciens orbitam in Telluris vicinia verſetur; ex quo fiet, ut mutuis attractionibus eorum atmoſphæræ turbentur. Dudum ſane Aſtronomis conſtitit Saturni ſatellites ab attractione Jovis in conjunctione poſiti, in ſuis turbari motibus, & viciſſim. Ita ex vicinia Cometæ turbari poterit Telluris motus, ad minimum ejus atmoſphæra affici. 2. Aliqua cometicæ caudæ pars, ipſius lege gravitationis in atmoſphæram terreſtrem illabi poteſt, quæ proinde cometicis referta effluviis aliam, atque aliam aſſumere poterit conſtitutionem.

deinde contraxere Parmenides, Melliſus, Zeno, & quam ad Pythagoreos, & Stoicos plures derivaſſe, ſcribit Buddeus *diſſ. de Spinoz. ante Spinoz.*

§. 101. Quam impia, & abſurda ſit iſthæc putida ſententia ex iis, quæ præſertim *art.* 4. *c.* 3. diſputavimus luculentiſſime patet, ut adeo nihil addere heic putemus, ne rem actam reagere videamur.

C A P.

De Naturali, & Supernaturali.

§. 102. QUævis mutatio, quæ cuilibet rei contingere poteſt, ſi ex principio ipſi rei interno manat, *actio* appellatur; e contrario *paſſio* dicitur, ſi a principio eidem externo fiat, nempe ex principio alteri Enti inſito; illud vero principium, e quo actio manat, *activum* nuncupatur.

§. 103. Singula ſpectabilis Mundi Entia continuas ſubire mutationes, equidem cuique conſtat. Quare ſimplices hujus mundi ſubſtantiæ ejuſmodi eſſe debent, ut in ſuis occurſibus, & incurſibus pati queant, & agere; ſeu patiendi potentia præditæ eſſe debent, & principio aliquo activo, ſeu vi gaudere. Non moror quidquid in contrarium afferunt Occaſionaliſtæ ſecundæ hujus theorematis parti. Vide *Ont.* §§. 125. & *ſeq.* Certe Univerſum Philoſopho nullis præjudiciis præoccupato in ſingulis ſuis partibus perpetua objicit activitatis argumenta; atque adeo dubitare nullo pacto fas eſt, ejus ſtamina vi acti-

activa prædita eſſe. §§. 29. 35. & *ſeq.*

§. 104. Principium activum Enti internum cum patiendi potentia copulatum, dicitur ejuſdem Entis *natura*. Ita ex. gr. natura plantæ eſt principium, ſeu vis activa plantæ intimam ſuam ſubſtantiam pervadens, qua viget, effloreſcit, fructus gerit &c., & patiendi potentia, qua ſubditur actioni externarum cauſſarum, puta lucis, aëris, &c.

A R T. I.

De Natura generatim, ubi quid ſit naturale edocetur.

§. 105. QUoniam Univerſum inſtar totius conſideratur complectentis omnia, & ſingula entia: pronum eſt, ex naturis ſingulorum Entium notionem effingere univerſalis cujuſdam naturæ per omnia fuſæ, & Univerſum percientis. Hæc itaque notio (quod perdiligenter animadvertatur velim), nihil reapſe eſt aliud, niſi generica quædam activitatis notio ex activitate ſingularium mundi entium mentis abſtractione comparata. Ita, quam dicimus plantæ, animalis &c. naturam, neque eſt anima quædam ſingularis, & per ſe conſtans, plantam, animal &c. pervadens, & veluti fuſa per iſthæc entia compoſita; ſed eſt activitas, quæ conflatur ex activitatibus ſe invicem modificantibus ſingulârum ſimplicium ſubſtantiarum, quæ plantam, animal &c. conſtituunt.

§. 106. Jam vero quampluribus non ſat

cau-

cautis, a propriæ imaginationis illuſione abreptis, univerſalis naturæ nomine non idolum noſtræ mentis intelligendum eſſe placuit, ſed ſubſtantiam a ſingulis mundanis rebus prorſus diſtinctam, per ſe conſtantem, intime omnia pervadentem, & Univerſum percientem. Hanc principium *Hylarchicum*, *Archeum* Mundi, *Enthelechiam*, *Animam* denique *mundanam* appellarunt. Nimirum Philoſophi iſti Mundum veluti ingens Animal habuerunt ex Anima, & corpore conſtantem; & ex ejus Anima ſingulas fieri, quas obſervamus, rerum generationes, atque corruptiones. Sed in definienda hac Natura, ſeu anima mundana ipſi ejus Patroni in diverſas abiere ſententias. Fuerunt qui commentitiæ animæ genus inveſtigantes uſque adeo hallucinati ſunt, ut eam Deum ipſum eſſe definierint, ut ita Deus ſit Mundi Mens, & Mundus Corpus Dei. Hos ſi Pantheiſtis aſſidere aſfirmes, profecto non falleris. At Cudworthus, (a) doctiſſimus equidem Vir, univerſali naturæ & ipſe favens, *genitricem* & *fictricem* hanc appellavit, eique id muneris a ſuo Conditore commiſſum ſtatuit, ut materiæ diſpoſitionem, temperationem, & gubernationem fataliter moliatur: tum ordine, & ratione omnia gerere iſtam genitricem naturam poſuit, ipſam vero conſilio, ratione, & intelligentia carere. Sed nihil ſolidi protuliſſe viſus eſt Cl. Vir, quo hanc ſuam

(a) In *Diſſertatione de natura genitrice*, quæ legitur poſt cap. 3. *Syſt. intel.*

ſuam conſtabiliret ſententiam. Legatur Moſhemius *in notis loc. cit.*

§. 107. Quotidiana edocemur experientia ſingularum rerum generationes, & corruptiones ſub determinatis quibuſdam, ac conſtantibus conditionibus fieri, nec non determinato quodam, ac conſtanti modo. Determinatus hicce modus, quo rerum fiunt generationes atque corruptiones, determinatæ iſtæ &. conſtantes, quæ requiruntur, conditiones, id ſunt, quod *Ordinem naturæ* appellamus; & conſequutionem rerum juxta hunc ordinem evenientium, *naturæ curſum* dicimus.

§. 108. Cum nullus ſit Ordo abſque ordinis regula §. 132. *Ont.*, pronum eſt intelligere, dari regulas ſeu normas quaſdam, juxta quas Vires Entium hujus mundi perpetuo agant. Equidem ſi nullæ hujuſmodi ſtatutæ forent normæ a Supremo Conditore, nullus conſiſtere poſſet ordo, ſed Chaos perpetuum regnaret. Hæ normæ, ſeu ordinis regulæ *leges naturæ* appellantur. Hinc quivis effectus a naturis, ſeu viribus Cauſſarum ad hocce Univerſum ſpectantium, & juxta præfatas leges agentium editus, *naturalis* appellatur.

§. 109. Jam vero ſicuti quinam, qualiſque ſit Mundi Ordo, nonniſi conſtanti obſervatione, & experientia innoteſcere poteſt; ita Entium hujus Mundi vires, harumque virium leges, quibus ordo ille continetur, nonniſi ex obſervationibus, & experimentis eruendæ veniunt. Equidem noſtrum erat generaliſſimas, & ſingulis corporei Mundi Entibus maxime communes

le-

leges cap. II. exponere. Sed quæ cujuſque rei ſunt peculiares, ac propriæ, ad phyſicos ſpectant. Hinc qui phyſicis facultatibus ſedulioorem navant operam, ii, accuratius, & acutius rerum naturam, naturæque leges callentes, quid in peculiari caſu naturale ſit, quid non item, tutius dijudicare valent.

ART. II.

De Supernaturali: ubi de Miraculis generatim.

§. 110. Quivis effectus e viribus Entium hujus Mundi haud pendens, *ſupernaturalis* appellatur.

§. 111. Ut igitur dignoſci poſſit an datus effectus ſupernaturalis ſit, oportet aliqua pateat ex ſequentibus conditionibus. I. Nullam eſſe in univerſa natura cauſſam tanta vi præditam, quæ illi effectui producendo potis ſit. II. Saltem in dato caſu hujuſmodi cauſſam defeciſſe. III. Effectum illum eſſe contra notas naturæ leges. IV. præter notum, conſuetumque ordinem. Nam cum rerum naturæ certæ ſint ac determinatæ, certaſque ſingulæ ſequantur leges; a quibus ne hilum quidem dehiſcere poſſunt; quoties una, aut altera ex dictis conditionibus in dato effectu occurrat, certi erimus ad univerſam naturam illum haud pertinere. Quare iterum patet, ſedula opus eſſe indagine, & accurata rerum naturalium notitia ubi decernendum ſit de naturali, & ſupernaturali. Multa quandoque inſanum Vulgus inter ſupernaturalia ad-

cen-

cenſet, quæ Philoſophi naturalium virium periti merito contemptui habent, ac deſpiciunt. Huc ex. gr. ſpectat mannæ pluvia, quæ in Siculum ſolum cecidit anno 1792. (*a*); uti etiam celebris lapidum imber e Cælo miſſus die 16. Junii anni 1794 in Senenſe territorium. (*b*)

§. 112. Cum ex nihilo nihil fieri poſſit: quoties conſtat effectum aliquem ſupernaturalem eſſe, haud nempe pendere poſſe e viribus in univerſa natura poſitis, nihil ambigere poſſumus, quin Cauſſæ extramundanæ, ſeu Deo, qui cæterarum omnium Cauſſa eſt plane libera, & omnipotens, adjudicemus.

§. 113. Effectus ſupernaturalis admirationem in ſpectatore pariens ſive ob ſuam raritatem & inſolentiam, ſive ratione temporis, & adjunctorum, *miraculum* appellatur. Duo itaque ad miraculi notionem requiro: primum quidem & præcipuum, quod effectus ſupernaturalis ſit, alias inſcite nimis miraculum appellabitur, cum ſolum ſit mirabilis. Huc ſpectant Ciceronis verba l. 2. *de Divin.* c. 22. *Cauſſarum enim ignoratio in re nova mirationem facit: eadem ignoratio si in rebus uſitatis eſt, non miramur: nam qui mulam peperiſſe miratur, is quomodo equa pariat, aut omnino quomodo natura partum animantium faciat, ignorat. Sed quod crebro*

(*a*) Legatur Della Pira. *Memoria ſulla pioggia della Manna caduta in Sicilia*,

(*b*) Videsis Abb. Dominicum Tata. *Pioggia di pietre avvenuta nella campagna Saneſe*.

bro videt, non miratur, etiamſi, cur fiat, neſcit: quod ante non vidit, id ſi evenerit oſtentum eſſe cenſet. Secundum, quod ad miraculi notionem requiro, eſt inſolentia: nempe non quoſvis effectus ſupernaturales miracula appellare ſolemus, ſed qui ob inſolentiam, ſive ratione temporis, ſive adjunctorum, extra omnem alias notum ordinem vagantur; & in admirationem rapiunt ſpectatorem. Ex. gr. ita nemo miraculum appellabit animæ rationalis creationem & infuſionem in humanum corpus jam organizatum in matris utero degens, licet omnes fateantur effectum hunc ſupernaturalem eſſe.

§. 114. Graviſſima licet ſolutu facillima heic occurrit quæſtio de miraculorum poſſibilitate, quam pravæ mentis Philoſophi impio conſilio exſuſcitarunt. Hi nimirum non veritatis amore, ſed revelatæ Religionis livore perciti, nihil ex jecinore ſuo decernere dubitant, veri nominis miracula impoſſibilia eſſe; quæque miracula appellantur, phænomena naturalia eſſe cenſenda, ex ignotarum cauſſarum naturalium concurſu genita.

§. 115. Longa equidem non indigemus oratione, quo iſthæc laſcivientia ingenia confringamus. Sane I. Subſtantiarum hujus Mundi vires finitas eſſe tum intenſitate, cum extenſione, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Quare infiniti ſunt effectus intrinſecus poſſibiles, quos naturales ſubſtantiarum hujus Mundi vires attingere non poſſunt. Porro ad hujuſmodi effectuum genus miracula ſpectant. Miracula ergo ſunt intrinſecus poſſibilia. II. Subſtantia-

rum hujus mundi vires cohiberi poſſe, quin ſuos edant effectus, nil vetat: ipſa ſane experientia perpetuo edocet, contrariarum cauſſarum incurſibus vires collidi, ut ita vel effectus earum præpediantur, vel omnino alii conſequantur. Quare, quin etiam intrinſecus ſubſtantiatiarum vires deleantur, coërceri illas poſſe a Cauſſa extra naturam univerſam poſita, ne ſuos gignant effectus, intrinſecus eſt poſſibile. In hac porro hypotheſi effectuum conſequutio plane contraria eſſet conſueto naturæ ordini. Quare iterum conficitur, miracula intrinſecus eſſe poſſibilia.

§. 116. Quod vero ad extrinſecam miraculorum poſſibilitatem adtinet, ille tantum negare eam poteſt, qui præter materiam nil aliud exiſtere ſtulte præſumit, cujuſmodi ſunt Spinoza, & Athei cæteri. Simulac vero, recta cogente ratione ponimus, præter ſpectabilem mundum Mentem eſſe æternam ipſius Mundi Opificem, infinitam, omnipotentem, pleno & ſummo jure in res a ſe creatas præditam, nihil dubitare poſſumus, hujus vi, & actione innumeros edi poſſe effectus & contra, & ſupra Naturæ ordinem. Luce igitur meridiana clarius elucefcit cum interna, tum externa miraculorum poſſibilitas.

§. 117. Sed audiamus Rouſſojum adverſariis, quibuſcum agimus, non ſuſpectum certe auctoctorem, *epitr. 3. écrit. de la Montaigne. Poteſt ne Deus miracula efficere, ideſt poteſt ne legibus ab ipſo ſtatutis derogare? Hæc quæſtio ſerio pertractata impia foret, niſi eſſet abſurda.*

Ni-

Nimium honoris, ei, qui illam negative ſolveret, flagris tribueretur; ſatis eſſet inter inſanientes eum concludere. Re quidem vera, Ecquis unquam inficias ivit, Deum poſſe miracula perpatrare? oportebat Hæbreum eſſe, ut quæreretur, an Deus poſſet in deſerto menſam parare.

§. 118. Atqui, quam futilia ſint, & ridicula, quæ contra miraculorum poſſibilitatem objiciunt profani homines, operæ pretium eſt expendere. I. Inquiunt, miracula Dei opponuntur immutabilitati: qui enim Deus immutabilis conſiſteret, ſi naturæ ordinem a ſe ſtatutum mutaret? Accedit quod majeſtatis deminutio eſt, & confeſſio erroris mutanda feciſſe.

II. Miraculum eſt legum mathematicarum, divinarum, immutabilium, æternarum violatio; quare miraculum expreſſam involvit contradictionem.

§. 119. Sed facilis ad hæc reſponſio. I. Sicuti Deus æterno ſuæ ſapientiæ conſilio, æternoque ſuæ voluntatis decreto naturæ ordinem ſancivit, ita eodem conſtituit, pro certo futuro tempore peculiarem in aliqua univerſæ naturæ parte ordinis mutationem inducere. Summa equidem providentia, & numquam ſatis laudanda! ut nimirum ſopiti mortalium Animi eventuum inſolentia commoti, tum cauſſarum naturalium impotentiam animadvertentes, quæ Supremum Numen conſilia panderet, venerabundi adorare moneantur. Hinc patet, miracula nedum nihil Divinæ immutabilitati occurrere, ſed inſuper Divinam Sapientiam, Majeſtatem, ac Bonitatem ſummopere commendare.

II. Quæ inſolentiſſima miraculi definitio! Miraculum eſt legum mathematicarum violatio! Quid iſtuc ſibi velit, vel ipſi, qui obtrudunt, profecto non ſapiunt. Numne miraculum ex adverſariorum mente efficeret, ut bis duo non efficiant quatuor? Equidem communi voto miraculum legum phyſicarum violatio hactenus interpretatum eſt. Deinde naturæ leges divinæ ſunt, & dicuntur, nec non æternæ, quippe a Deo ſua liberrima voluntate ab æterno decretæ, tum in tempore materiei impoſitæ: itaque divinæ ſunt, & æternæ ratione Auctoris, a quo ſunt latae, non ſubjecti, cui ſunt impoſitæ. Rurſus, nequit materia leges ſibi impoſitas ſponte ſua deſerere, ſed illas perpetuo ſequi debet. Sunt eæ igitur materiei reſpectu immutabiles, non Auctoris, qui eas olim libere tulit, & cui eaſdem adhuc pergere libere lubet. Quid hæc miraculorum poſſibilitati obſtant?

§. 120. Fruſtra vero ecquis regeret, nunquam de effectu ſupernaturali nobis conſtare poſſe, eo quod penes ipſos acutiores Philoſophos non conſtet virium naturalium intenſitas, neque earum genus, neque omnes, & ſingulæ, quas illæ ſequi debent leges, earumque multiplices combinationes, quibus modificari, perturbarique poſſunt, aliumque effectuum ordinem, & ſpeciem gignere. Equidem ultro fatemur non conſtare, quo naturalium virium intenſitas certe ac determinate pertingat; extra vero omnem dubitationis aleam certi conſtant limites, quos nunquam non attingunt, nec attingere poſſunt: non conſtare adæquate ſingularum virium genus; ſed

ex qua parte conſtat, novimus quid ultra nequeat eſſe: ſingulas adcurate non perſpexiſſe leges; ſed peculiares aliquas & ignotas leges notis hactenus adverſari haud poſſe, nihil dubitare poſſumus. Quæ cum ita ſint, concedimus quandoque incerta futura eſſe noſtra de miraculis judicia, adeoque cordatum Virum haud præcipitem hac de re ſe gerere debere, immo animis ſæpe pendere ſummum eſſe conſilium; at alias tam clare patere miracula autumamus, & in ipſos veluti oculos ſponte ſua incurrere, ut excors ſit oporteat, qui de iis ſuum velit judicium cohibere, & inter ſtupidos adcenſendus. Ut ecce ſi Sol hominis obtemperans voci e ſuo curſu deſiſtat, neque occumbere feſtinet. Si maris aquæ ex hominis imperio ſcindantur, & contra naturalis æquilibrii legem ſtantes liberum iter fugienti populo per imum fundum præbeant: ſi hominis cadaver molle & jam fætens in vitam ſanum & integrum revocetur abſque ullo omnino apparatu, ſed ſola jubentis voce: ſi mare procellis, & tempeſtate jactatum quieſcat illico & indomabilem, qua furebat, iram deponens, ridentem adſumat tranquillitatem; & innumera hujuſmodi, quibus Sacræ redundant paginæ.

§. 121. Si quandoque in mundo miraculum fiat, Cauſſarum, effectuumque ſeries, quæ poſt hac ſequetur, alia erit ab ea, quæ futura fuiſſet, miraculo non patrato. Nam omnia, quæ in mundo fiunt, contexte, connexeque fiunt, & ſingula, quæ conſequuntur ex præcedentibus determinantur §. 76. Si itaque in hujuſmodi connexa rerum ſerie aliquid novi ingrediatur, quod ſci-

ſcilicet non ſit ex ipſa ſerie, nova huic adcedet determinatio, qua equidem citra miraculum caruiſſet. Subſequens ergo ſeriei pars propter novam ſuſceptam determinationem non poterit alia non eſſe ab ea, quæ citra miraculum futura erat.

§. 122. Si itaque miraculo perpatrato ſubſequens rerum ſeries eadem, ac quæ citra miraculum fuiſſet, pergere debeat; nonniſi novo miraculo reſtitui poteſt. Sane res, quæ miraculo mutatæ fuerunt, alios atque alios natura ſua edidiſſent effectus, aliamque poſtmodum ſeriem conſequentium conſtituiſſent; hæc ut deleatur, ejuſque loco reſtituatur illa prior ſeries, niſi novo miraculo fieri non poteſt.

§. 223. Juvabit, quæ mox diximus, exemplo ab horologio petito, illuſtrare. Singulæ, quæ in horologio fiunt mutationes ex mechanica partium ſtructura, & poſitione fluunt; tum connexæ ſunt inter ſe, & continua ſerie fiunt, ut adeo, earum curſus hujus Mundi curſui conferri merito poſſit. Ponamus, minutorum indicem a ſitu, quem hoc momento obtinet, aliquot minutis retorqueri: id ab ipſa mechanica horologii ſtructura fieri quidem pugnat, nihil vero vetat, ab externa cauſſa fieri. Deinde retorto eum in modum minutorum indice, & horarius index proportionaliter retorquebitur, aliæque fient interius mutationes. Poſthac minutorum, & horarum ſignationes pro quovis tempore diverſæ omnino conſequentur, ac ſi nulla facta fuiſſet in utroque indice mutatio. Quod ſi reſtituenda ſit prior utriuſque indicis

poſi-

poſitionum ſeries pro quovis tempore, illa ſcilicet eadem, quæ conſequtura erat nulla facta indicum retorſione, iterum ab externa cauſſa impellendi ſunt indices, & ad eam poſitionem conſtituendi, quam modo ſponte ſua obtinuiſſent, ſi horologio ſibi relicto, nulla unquam extrinſecus illata fuiſſet mutatio. Ita miraculum in mundo fieri & intrinſecus, & extrinſecus poſſibile eſt §§. 115. 116. Sed miraculo patrato conſequentium eventuum ſeries diverſa occurret ab ea, quæ citra miraculum fuiſſet §. 121. Hæc itaque ſi reſtituenda ſit, pariter per miraculum nova rebus inducenda eſt mutatio, ut eadem, & eodem ordine redeat rerum ſeries, quæ per primum miraculum deleta fuit.

Finis Coſmologiæ.

Digitized by Google

METAPHYSICARUM INSTITUTIONUM

PARS TERTIA.

IN PSYCHOLOGIAM PROLEGOMENA.

§. 1. EX generali Mundi contemplatione, quam hactenus proſequuti ſumus in Coſmologiam incumbentes, modo ad Hominem rimandum gradum facimus. Hunc ſane quippe qui excellentiorem, nobilioremque præ cæteris hujus Mundi Entibus naturam ſortitus eſt, ſpeciali pertractatione accuratius expendere & decet, & noſtra maximopere intereſt.

§. 2. Atqui cum Hominem dico, non illius multiplicem órganicam ſtructuram, equidem nunquam ſatis admirandam; non oculorum aciem, auriumque ſolertiam; non vocis dulcedinem, ac flexibilem tonum; non totius corporis greſſum, vires & impetum intelligo: hæc enim omnia, & alia hujuſcemodi plurima non ejus ſunt propria, cum ſint & cæteris animalibus, feriſque communia; ne dicam, in his omnibus vicitur. Quod Hominis eſt proprium, eumque ſuper cætera animantia evehit, eſt profecto

principium illud ipſi internum, quod ſentiens, attendens, ac reflectens res extra poſitas attingit, & ſcrutatur; tum longiſſime diſſitas veluti præſentes perſequitur, naturaliter conjunctas ſecernit, copulatque ſecretas: nec non ſui ipſius conſcium, memor, providum, ſagax, conſilio præditum eſt, ratione, ac libera agendi facultate.

§. 3. Principium iſtud, quod vulgo *Animam, vel Mentem humanam nuncupare* ſolemus, aliud omnino eſſe a corporea compage, qua irretitur, quilibet, dummodo omni præjudicio vacuus, ac veritatis amore unice percitus philoſophari velit, protinus intelliget, ut ut minimum ipſe ſibi conſciat. Certe ille *ego*, qui cogitat, ſui ſuique ſtatus in perpetua viciſſitudine poſiti ſibi eſt conſcius, *idem numerice* eſt, & perpetuo manet, ſicuti ipſe intimus conſcientiæ ſenſus luculentiſſime teſtatur. Atqui omnino ſecus ſe habent quotquot ſenſibilia ſunt, & præſertim ipſa organica noſtri corporis compages: *Nemo noſtrum idem eſt in ſenectute, qui fuit juvenis: nemo eſt mane, qui fuit pridie; corpora noſtra rapiuntur fluminum more*. Animus ergo noſter cæleſte quoddam eſt, atque divinum, & cujus nulla unquam in terris origo inveniri poterit.

§. 4. Illa Metaphyſices pars, quæ de humana Mente tractationem inſtituit *Pſychologia* vulgo audit. Quanti iſthæc facienda ſit vel ex eo Tyrones intelligere poſſunt, quod inter ipſos gentiles Philoſophos maxime celebratum ſit vetus illud Apollinis præceptum *NOSCE TE-IPSUM*. Revera *qui ſe ipſe norit*, inquit ap-

po-

poſite Tullius *de leg. l.* 1. *c.* 22. *primum aliquid ſentiet ſe habere divinum, ingeniumque in ſe ſuum ſicut ſimulacrum aliquod dedicatum putabit; tantoque munere Deorum ſemper dignum aliquid & faciet, & ſentiet*. E contrario, hiſce neglectis cognitionibus, Homo licet cæleſtis originis, naturæque longe præſtantioris, quam cætera quævis Telluris viventia, vileſceret omnino, brutiſque confuſus animantibus, ſimilis illis efficeretur: hinc a ſua natura deſciſcens, & a fine ſibi propoſito aberrans, omnium miſerrimus fieret.

§. 5. De Mente humana heic tractaturi I. ejus facultates expendemus, harumque analyſim inſtituemus. II. Illius inveſtigabimus genus ſeu naturam. III. Societatem, quam cum corpore habet, disquirere ſategemus; ac IV. tandem ejus originem, atque durationem. At hæc pluribus capitibus perſequemur,

C A P. I.

De Facultate ſentiendi.

§. 6. QUotidiana edocent experimenta, Hominem ejus eſſe naturæ, ut excita ubivis in corporis fibris motione, illico Anima determinato quodam modo afficiatur, & intimitus in ſeipſa aliquid experiatur. Hæ Animæ affectiones, ſeu iſthæc Animæ experimenta *ſenſionum*, vel *ſenſationum* vocabulo deſignantur, ſicuti *ſentiendi*, vel *ſenſitiva facultas* dicitur ea Animæ vis, ſeu temperatio & conſtitutio,

qua e peculiaribus corporis motionibus peculiari modo afficitur, & percietur, certasque ſibi comparat notiones (*a*). Inquiremus heic I. quæ ſit ſenſitivæ facultatis indoles, atque natura. II. Quæ ſedes illius principii, quod hac facultate eſt præditum.

A R T. I.

Senſitivæ facultatis indoles atque natura exponitur, & plura ſenſationum doctrinam ſpectantia enucleantur.

§. 7. I. Quinque præcipue diverſis modis ſenſitiva facultas ſe exerit quamdiu Mens in corpore degit; nimirum juxta numerum ſenſuum, qui vulgo in corpore percenſentur; atque hinc quinque ſenſationum genera pendent. Qua de re animadvertendum, omnem corporis ambitum fibris undique contextum, quæ ex externa actione irritantur, ac veluti pervelluntur. Quoties ergo ex harum quarumvis commotione Mens aliquid ſentit, has ſenſationes ad unam, eamdemque claſſem referre conſuevimus, & *tactus* ſenſationes appellare. Cum vero fibræ, quæ in extremis manuum digitis ſunt poſitæ, cæteris ſint irritabiliores, huic præcipue loco ſenſus *tactus* vulgo tribuitur. Deinde, quoniam

(a) Quæ motiones perpetuæ ſunt in corpore, & quibus hominis vita continetur, nullam in Anima excitant ſenſationem, ſaltem cum naturæ limites non tranſiliunt ex. gr. cordis palpitatio, ſanguinis circuitus, arteriarum ſiſtoles ac diaſtoles &c.

niam aliquæ corporis partes peculiari quadam ſtructura ſunt conformatæ, fit, ut illarum fibræ, nervulique determinato quodam modo concitentur peculiaribus quibuſdam cauſſis, vel nullam, vel omnino aliam concitationem in cæteras corporis fibras cientibus. Hujuſmodi ſunt illa corporis organa, quæ *Oculorum*, *Narium*. *Aurium*, *Guſtûs* denique nominibus deſignamus. Ita ex. gr. lux ab externis objectis in oculos, & in omnem corporis ambitum immiſſa peculiarem, & ſenſibilem in retina poſticam oculi partem obtegente gignit; inſenſibilem vero, vel prorſus aliam in cæteris organis, & toto corporis ambitu. Hæ animæ ſenſationes ad aliam referuntur claſſem, quam *viſionis* dicimus. Id ipſum, paucis mutatis, de naribus, auribus, & guſtû, dictum velim. Diverſæ itaque ſenſationum ſpecies pendent ex motionibus ſpecifice diverſis, quibus, dependenter ex peculiari organorum ſtructura, nervorum fibræ agitantur. Hinc valde probabile eſt, quod ſi Homo aliis, præter memoratos, ſenſibus præditus eſſet, & alius ignoti generis ſeu ſpeciei ſenſationes exciperet.

§. 8. Jam vero Nemo non intelligit, irritationes, quæ in unius ejuſdemque organi fibris contingunt, plurimum inter ſe diſcrepare poſſe: proinde patet, ſenſationes per idem organon exceptas multiplices eſſe poſſe, ac plurimum diverſas juxta varias, diverſas, ac multiplices irritationes, quas illius fibræ, nervulique ſuſcipere poſſunt. Quare ſicuti ex organica ſenſuum ſtructura pendet ſpecifica ſenſationum diverſitas: ita numericæ ſenſationum differentiæ re-

petendæ veniunt ex diverſis irritationibus unius, ejuſdemque organi.

§. 9. Irritationes unius, ejuſdemque organi diverſæ fieri poſſunt pluribus de Cauſſis, at præcipue I. ſi objecta pellentia reapſe diverſa fuerint: II. ſi fibrarum conſtitutio, & ſtatus fuerit diverſus. Si proinde, cæteris paribus, harum altera certa ſit & conſtans, ſenſationum varietas alterius mutationem, & varietatem arguit. Ita quoties in eodem homine eadem perſeverat fibrarum conſtitutio & ſtatus, ſi ad ſuam experientiam adductis pluribus objectis, diverſas ab iis patitur ſenſationes, merito diverſa inter ſe hæc objecta putabit. Ex. gr. ſi manum in eodem ſtatu æque conſtitutam ſucceſſive pluribus corporibus æque applicemus, patiemur ab aliis ſenſationem ſcabritiei, ab aliis lenitatis, ab aliis ſenſationem frigoris, ab aliis caloris, ab aliis duritiei &c. Ex hiſce experimentis merito deducimus, illa corpora in aliquo inter ſe diſcrepare, prout diſcrepant ſenſationes. Si oculos in plura convertamus objecta; ab aliis ſenſationem albi coloris, ab aliis rubri, cærulei &c. obtinebimus; quare procul alea inferemus, ea, quæ per viſum diverſa innoteſcunt, reapſe in aliquo inter ſe diſcrepare. (*a*)

§. 10.

(a) Demonſtravit Newtonus, ut in phyſica copioſe edocebimus, lucis radios e Sole emiſsos non eſse homogenos, neque ſingulos a ſingulis corporibus æque regeri. Cum itaque e radiis ab objectis in oculos repercuſſis viſio fiat, quoties diverſa eſt viſio, diverſi erunt radii repercuſſi; diverſa proinde objectorum conſtitutio, qua alii atque alii diverſæ ſpeciei radii reflectantur.

§. 10. Quod ſi aliorum hominum teſtimonio objecta eadem eſſe adfirmantium, nobis diverſa adpareant, ac alias experti ſumus: vel ſi aliorum ſenſuum renunciationibus pateat objectum idem eſſe, atque immutatum, per alium vero ſenſum non idem ac alias deprehendimus, id ex mutata fibrarum conſtitutione & ſtatu hujusmet ſenſus repetendum eſt. Ita idem cibus, qui bene valenti optime ſapit, eidem dein ægrotanti nauſeam, vomitumque ciet. Una eademque aqua, ſi manu frigore correpta tangatur, calida ſentietur; frigidam vero experiemur altera manu, quæ ſit calore perfuſa. Quo id intelligant Tyrones, exemplum ſat luculentum ſumant ex chordis ejuſdem Cymbali. Hæ diametro, tenſione, longitudine diſcrepantes, licet pari vi, eodemque calamo pulſentur, non eaſdem concipiunt oſcillationes, neque eumdem ſonitum edunt. Ita profecto ejuſdem hominis fibræ, ſi qualibet ex cauſſa alium atque alium ſubeant ſtatum, diverſo plane modo commovebuntur, iiſdem licet pellantur cauſſis. Quare non ſemper eodem modo afficietur Anima, ſcilicet non eamdem experietur ab eodem objecto ſenſationem.

§. 11. Ex allato mox exemplo & illud facile intelligitur, ſingulorum hominum ſenſationes pro temperamentorum varietate diſcrepare: alii ſcilicet magis, alii minus iiſdem objectis afficientur: tum alii gratam, jucundamque ſenſationem experientur, alii e contrario moleſtam, & injucundam ex eodem objecto. De phænomeno prædem do experientiam.

§. 12. II. Senſationes non ſunt nec de eo, quod eſt objectum, nec de eo, quod accidit in organis ſenſoriis, per quæ illas excipimus. Sane quid ſit lux nemini mortalium liquet; quid ſit oculus, tum quæ oculi partes, & quomodo afficiantur a luce, norunt pauciſſimi: & tamen plebeji homines nullo Philoſopho deterius vident. Philoſophos videre eſt muſices mathematicæ peritiſſimos, qui tamen peſſimi ſunt muſici: uti e contrario egregii paſſim occurrunt Muſici, qui aures ſunt, & præterea nihil. Sapiens Chemicus ſalis marini compoſitionem callens, quando illum linguæ applicat, intelligit perſpicax, ſolutas moleculas ſalinas per linguæ poros ſubire, & nervous ejus papillas vellicare: verum nihil deterius quicumque idiota ſaporem ſalſum diſtinguit. Senſationes igitur nec ſunt de eo, quod eſt objectum externum, nec de eo, quod in organis ſenſoriis accidit.

§. 13. Re quidem vera nullam ſui ſpeciem, ſeu entitatem in ſentientem Animam externa objecta immittunt, ſenſus tantum percellunt, commoventque fibras; tum ex harum commotionum occaſionibus Mens afficitur, & in ſe experitur dulce, amarum &c. album, rubrum, &c. calidum, frigidum, &c. &c. Itaque dulce, amarum &c. rubrum, cæruleum &c. calidum, frigidum &c. non ſunt reales qualitates objectis externis inſitæ. Sed neque ſunt qualitates ex organis ſenſoriis hauſtæ: nihil enim in organis exiſtit, cum Mens ſenſatione aliqua percellitur, niſi determinata quædam fibrarum commotio, quæ ſane toto cælo dif-

differt ab illa ſpecie, quæ Animam afficit.

§. 14. Diſcant hinc I. Tyrones, phænomena eſſe cenſendas ſpecies illas, quæ Menti præſto adſunt, cum objecta externa corporis ſenſus pulſant. II. Quid intrinſecus ſint externa objecta penitus latere. III. Illa phænomena relationem præ ſe ferre, quæ Animam inter, & externa objecta intereſt, quæcunque tandem iſta ſint. IV. Totam rerum Univerſitatem noſtri reſpectu magnificum eſſe, & admirabile Phænomenon, ſeu ordinatum, & regulare phænomenorum ſibi coëxiſtentium, & ſucceſſivorum Syſtema; quid vero intrinsecus ea ſit, & quæ vera, interiorque ejus ſtructura, vetitum mortalibus noſse.

§. 15. Quid! erramus ergo omnes cum dicimus nivem eſſe albam, ignem calidum, aloë amariſſimum? &c. Sæpius in Logica monuimus, verba non rerum naturam, ſed ideas notionesque rerum, queis informatam habemus Animam, denotare. Cum ergo ex occaſione ſenſationis affirmamus ex. gr. nivem eſſe albam, id de ipſa ſenſatione, qua intrinſecus affecta eſt Anima intelligendum eſt; ita nempe: objectum, quod Mente complectimur, eſt album. Quod ſi de objecto extrinſecus poſito illud ipſum affirmare quis intelligat, turpiter profecto hallucinatur, haud ſecernens ſpeciem Menti oblatam (ſenſationem), ab extrinſecus poſito objecto (cauſſa ſenſationis externa). Non enim Mens reale & extrinſecus poſitum objectum attingit; a ſolis afficitur fibrarum commotionibus; &

hæ

hæ quidem ab objecto extrinſecus poſito pendent, at nihil cum eo commune habent.

§. 16. Inquient vero Tyrones: diximus §. 9. ex ſenſationum diverſitate tuto deduci, externa earum objecta in aliquo diſcrepare. Porro in quo diſcrepabunt, ſi colores, ſapores, odores &c. non ſunt niſi Mentis ſentientis phænomena, neque aliam præter mentalem habent exiſtentiam? Facilis eſt reſponſio ex iis, quæ hactenus ſunt expoſita. Diverſæ ſenſationes ex diverſis fibrarum commotionibus pendent §. 8. Diverſæ fibrarum commotiones exigunt diverſum tactum. Diverſus tactus optime fieri intelligitur ex diverſa mole, figura, nexu particularum objecta externa conſlantium, tum ex diverſis eorum peculiaribus viribus. En diſcrimen, quod quantum hactenus novimus, in corporibus externis noſtrarum ſenſationum Objectis ſtatuere poſſumus. *Conf.* §§. 24. 25. *cos.*

§. 17. Præjudicatæ ſententiæ vulgaris en originem. Iisdem recurrentibus in ſenſus objectis easdem ab infantia paſſi ſemper ſumus ſenſationes. At non intelligentes, quî ex objectorum præſentia ſemper præſto ſint ſenſationes, incaute, & feſtinanter judicavimus, ſenſationes eſſe qualitatum realiter objectis inhærentium immiſſiones in Animam: & ſenſationes ab externis ſenſationum Cauſſis nihil diſcrevimus.

§. 18. III. Senſationes non ſunt in noſtra poteſtate poſitæ, ſeu quod idem eſt, Anima in ſentiendo non eſt libera. Revera ſimulac in corporis ſenſibus excita fuerit irritatio, & ad cerebrum (ut mox edocebo) perducta, velit

Ani-

Anima nolitve, modificationem in ſe patietur, & aliquid in ſeipſa experietur. E contrario velit, contendatque quantum voluerit, roſæ ex. gr. odorem ſentire, muſicum concentum audire &c., niſi commotio in ſenſuum fibris opportuna excita fuerit, voti compos neutiquam efficietur. Illud penes Animæ arbitrium poſitum eſt, cauſſis externis, quibus ſenſus concutiuntur, occurrere, illas perſequi, vel evitare poſtquam earum experientiam ſibi comparavit; at ſenſationem ſine externa cauſſa excitare, vel excitatam avertere nullo modo poteſt. Igitur ſenſiendi facultas in ſui determinatione paſſiva eſt.

§. 19. Evincimur hinc præter noſtri exiſtentiam & alia plura exiſtere, quæ ſint noſtrarum ſenſationum concauſſæ, & objecta, licet, quid hæc ſint intrinſecus, minime moneamur. Delirant adeo Idealiſtæ ſpectabilis Mundi exiſtentiam in dubium revocantes, delirantque profecto turpius populo ſenſationum phænomena ipſi Mundo adjudicante.

§. 20. IV. Licet ſenſiendi facultas determinationem extrinſecus excipiat, haud tamen putanda eſt mere paſſiva: hac enim facultate Mens intimitus veluti commovetur & afficitur, ſeque commoveri, & affici perſentit. Paſſiva itaque eſt ſolummodo in excipienda determinatione; cæterum intrinſecus activa haberi debet. Rem exemplo ex materialibus rebus deſumptò illuſtrare liceat. *Mimoſa* (vulgo *herba ſenſitiva*), ſtatim ac quavis externa cauſſa contingitur etiamſi leviſſime, folia contrahit, in quo ſtatu aliquandiu

diu manet, tum rurſus explicat. Certe externæ cauſsæ contactus principium eſt contractionis foliorum in mimoſa, atque adeo hæc modo paſſive ſe habet: at contactus ille non eſt cauſſa adæquata prædicti effectus. Interior herbæ iſtius activitas ſuæ naturæ conveniens extrinſecus excitata, interior & proxima eſt contractionis cauſſa efficiens. Huc adcedit quod per hanc facultatem Menti præſto adſunt phænomena (ideæ & notiones), quæ cum nihil commune habeant cum fibrarum motionibus, non niſi ex ipſius Mentis natura fluere poſſunt.

§. 21. Ex hactenus dictis colligo, ſenſitivam Animæ facultatem duobus conſtare. I. ejuſmodi naturali animæ temperatione, ut diverſimode affici queat, cieri, & determinari a diverſis fibrarum corporis commotionibus. II. ejuſmodi ipſius Animæ interiori vi, quæ ſit repræſentativa; quæque ſuæ naturæ neceſſitate, & conſtitutione illa cudat, exhibeatque phænomena, quæ ideas dicimus, juxta determinationem, quam a fibrarum corporis commotionibus ſuſcipit. Nam ad primum quod attinet, ſenſitiva facultas juxta motiones fibrarum ſe exerit §§. 7. & 8., nec non ſenſationum phænomena in noſtra non ſunt poteſtate §. 18. Quod ad ſecundum ſpectat, ſenſationes non ſunt immiſſiones qualitatum ex objectis externis in animam adeuntium §§. 12. & 13., neque Mens in ſuis ſenſationibus mere paſſive ſe habet § 20. Sed de hac re copioſius ſuo loco.

ART.

ART. II.

Quæ ſit ſedes principii ſenſitiva facultate præditi.

§. 22. Fibrarum irritatio in organis ſenſoriis excitata a quavis externa Cauſſa, niſi ad cerebrum uſque propagetur, nullam in Anima ſenſationem gignit. Prædem do experientiam. Sane obtruncetur nervus, vel fortiter ligamento comprimatur; quavis producta irritatione infra ſectionem, vel ligamen, nihil anima experietur; illico tamen ſenſationem patietur, ſive ligamen relaxetur, ſive irritatio ultra nervi ſectionem inferatur. Quare principium ſentiens, ſeu Anima non ubivis in corpore reſidet, & in quolibet organo ſenſorio, ſed in cerebro, ex quo ſuam originem nervi auſpicantur.

§. 23. At duæ heic occurrunt quæſtiones I. Quænam eſt illa cerebri pars hac prærogativa cæteris præſtans, ut ad eam ſint deferendæ ſingulæ ſenſuum irritationes, quo in Anima ſenſationes fiant? hanc cerebri partem, *commune ſenſorium*, & Animæ *ſedem* dixerunt. II. Quî ſenſuum irritationes ex intimis corporis partibus ad cerebrum, vel potius ad commune ſenſorium deducuntur?

§. 24. Quod ad primam adtinet, nulla cerebri pars pro communi Animæ ſenſorio ſtatui poſſe videtur. Ut enim aliqua hujuſmodi cenſeri queat, illud prius conſtare debet, ſingu-

gulos nervos, quot quot per ſingulas corporis partes migrant, & longe lateque diffunduntur, ex ea primam originem ducere. At nullam cerebri partem hujuſmodi eſſe, recentiſſime conſtitit ex obſervationibus ſumma ſagacitate ab Ab. Toſſoli captis, (*tom.* XIII. *opuſcoli ſcelti ſulle ſcienze, e ſulle Arti.*) Olfactorii nimirum in duo priora cerebri ventricula pergunt. Guſtatorii ad tertium. Acuſtici e corporibus ſtriatis labuntur. Optici e corpore calloſo emergunt.

§. 25. Somniavit ergo Carteſius cum Animæ ſedem in *glandula pineali* locavit: quippe ex pineali glandula nec unus nervus originem ducit. Idem de Digby dicendum, qui ex glandula pineali in *ſeptum lucidum* animæ ſedem tranſtulit. Neque adſentimur Cl. De la Peyronie, aliiſque in *corpore calloſo* animæ ſedem conſtituentibus; licet enim hinc emergant aliqui nervi, veluti *optici*, non omnes tamen.

§. 26. Quo ſecundæ quæſtioni facerent ſatis, adduxerunt Nonnulli exemplum chordarum, quæ altera ſui extremitate perculſæ, illico alteri extremitati motum ſuum tribuunt: at non ſatis penſiculate. Sane tremor in unam chordæ extremitatem illatus, ad extremitatem alteram illico propagatur, ſi tenſa illa fuerit, & in oſcillando libera, ab omni ſcilicet externo impedimento expedita. At neutrum de nervis dici poteſt, nullam tenſionem habentibus, & in ſui ductu undique irretitis. Alii vero nervos habent veluti totidem tubulos; quos purior, ac ſubtilior ſanguinis pars, quam *fluidum nerveum*,

&

& *ſpiritus animales* vocant, perpetuo implet, ac pervadit. In hac porro hypotheſi inquiunt, *nequit nervus, nervulusque contingi, quin aliquatenus prematur; neque poteſt ullatenus premi, quin ob diſtensionem ſpiritus contentus urgeatur, neque ſpiritus ille sic urgeri, quin pellat, ſeu potius repellat vicinum inſtantem, ac pari ratione advenientem ex cerebro; neque iſte porro repelli, quin tota ſerie ob repletionem, continuitatemque compulſa, ſpiritus exiſtens ad ipſam originem nervi, nervulique in cerebrum quasi resiliat*. Verba ſunt *Gaſſendi phyſ. ſ. 3. membr. 2. l. 6. c. 1.* Hujus explicationis exemplum ex tremulis aëris undis ſonum deferentibus e corpore ſonoro ad aures, facile eſt deſumere. Atqui hujuſmodi ſententia licet communi voto veluti cæteris veroſimilior excepta ſit, ſolida tamen caret demonſtratione. Hac interea utemur, donec melior non occurrerit (1).

CAP.

(a) Nuperus Auctor Thourry in diſsertatione Lugdunenſi Accademiæ exhibita, in qua quæſtionem expendit, utrum atmoſphæræ electricitas aliquid in humanum corpus influat &c. novum hac de re ſyſtema propoſuit. Utraque, aſserit, electricitas, *poſitiva* nempe & *negativa* ſeorſim in cerebro hoſpitatur. Subſtantia corticalis puta poſitivam continet electricitatem, negativam vero medullaris ſubſtantia. Utraque habet ſuos conductores, nervos ſcilicet, quorum alii poſitivæ electricitati inſerviunt, alii vero negativæ. Hi ex extremis corporis partibus electricitatem deferunt ad cerebrum; illi vero ex cerebro ad muſculos, & ad extremas partes. Senſationes Mentis fiunt ex appulſu ad cerebrum electricitatis, quam nervi negativæ electricitati inſervientes a corporibus in ſenſus incurrentibus rapiunt, deferuntque ad cerebrum. Motus ve-

CAP.

De Memoria .

§. 27. QUotidiana experientia edocemur, Mentem etiam remotis objectis, quibus afficitur, adhuc ſibi præſentem retinere poſſe illorum ideam, ſeu notionem. Hujusmodi Mentis actus coram retinendi ideas, notionesve objectorum, etiam illis remotis ac abſentibus, vocabulo *contemplationis*, Lockio duce, deſignamus.

§. 28. Rurſus experientia patefacit, Mentem perſæpe occaſione externæ cauſſæ, perſæpe ſuo veluti arbitratu, & imperio, antehabitas, conſepultasque ideas, notionesve revocare. Hunc mentis actum, *reminiſcientiam* appellamus.

§. 29. Eadem experientia novimus, Mentem antehabitas ideas ſibi recurrentes ut plurimum recognoſcere; ſcilicet animadvertere, illas ideas notionesque haud eſſe recentes, ſed jam olim habuiſſe. Hanc animæ conſcientiam, ſeu animadverſionem, *recognitionis* vocabulo exprimimus.

§. 30. Tres modo recenſitos Mentis actus vulgo *Memoriæ* nomine complectimur. Itaque Memo-

vero muſculares cientur ab electricitate, quam Anima in muſculos immittit per nervos poſitivæ electricitati deſtinatos. Atqui clariſſimus Auctor in præfata diſsertatione argumentum quidem ſui ingenii præbet, non vero ſui ſyſtematis. Ipſemet videtur iſtud proponere pro imaginationis ſpecimine ad rem perdifficilem, ſi ſuperis placet, explicandam.

moria eſt illa Animæ facultas, qua retinet, revocatque antehabitas ideas, ac recognoſcit veteres eſſe.

ART. I.

De Contemplatione.

§. 31. Motus ab externis objectis in noſtris ſenſibus exciti, & ad cerebri fibras perducti Animam diverſimode modificant, ſive repræſentationem aliquam (quam dicimus ideam) ſive affectionem (quam notionem appellamus), ingerendo. Quare pronum eſt intelligere, fibrarum cerebri commotionem eo uſque perdurare debere, quo illa notio, vel repræſentatio Animam occupat. Animae itaque contemplatio ex continuatione motionum in cerebri fibris eſt repetenda; atque adeo ad ſentiendi facultatem ſpectat.

§. 32. At continuatio motionum in cerebri fibris duplici ex cauſſa fieri poteſt. Vel enim fortior, & vehementior illata eſt concuſſio in ſenſuum fibras ab externis objectis, & modo cerebri fibræ vehementius commotæ in eadem ſuſcepta commotione, etiam citra Animæ imperium, diutius perſeverabunt. Hinc fiet, ut eadem idea vel notio Mentem ſive lubentem, ſive invitam occupabit, & quidem vivide. Vel fibræ leniter commotæ, ad quietem mox ſua ſponte redirent, quo caſu paullatim evaneſceret idea, & notio; & modo ut in inchoata commotione illæ perdurent, Mentis quoddam velu-

ti conamen adhibemus : hoc conamine fibræ in inchoata commotione veluti foventur , & conſervantur ; atque hinc conſervatur, & perdurat idea , & notio coram Mente .

§. 33. Vis, quæ in plura diſcerpitur , langueſcit ; at in unum collecta potior efficitur . Quare facile intelligimus, eccur ad contemplationem faciliorem, diuturnioremqne conſequendam , Mens ne ab aliis ideis , & præſertim ſenſationibus perturbetur, cavere debeamus.

A R T. II.

De Reminiſcientia.

§. 34. Difficillima occurrit de reminiſcientia inquiſitio . Hanc ineptiſſime videntur Metaphyſici veteres perſequuti fuiſſe : quæſierunt enim : *quo abeunt , receduntque ideæ, notioneſve , cum ab earum contemplatione Mens feriatur ? In Anima ne , vel in cerebro conſepeliuntur ad Animæ imperium rediture? Ecquid ſunt conſepultæ ideæ ?* Hiſce quæſtionibus ineptas reſponſiones ſuppeditantes, illud quaſi ſuadere vellent, penes Animam promptuarium eſſe, in quo ideæ conſerventur iterum educendæ ex ejus imperio , quoties opportunum eſſe judicat , vel ex alia quavis cauſſa . Audiant hi Ciceronem egregie eos increpantem . *Quid igitur ? utrum capacitatem aliquam in Animo putamus eſſe, quo tanquam in aliquod vas , ea , quæ meminimus infunduntur? Abſurdum id quidem: qui enim fundus, aut quæ talis Animi figura intelligi poteſt ? aut*

quae

quae tanta Animo capacitas? An imprimi quaſi ceram, Animum putamus, & memoriam eſſe ſignatarum rerum in Mente veſtigium? Quæ poſſunt verborum, quæ rerum ipſarum eſſe veſtigia? tuſc. qq. l. 1. c. 25.

§. 35. Ut ſibi caveant Tyrones ab hiſce abſurdis opinionibus, ſufficiat recolere, ideas, notionesve nihil eſſe aliud, quam Animæ modificationes ex fibrarum cerebri commotionibus genitæ; ut ita ſicuti fibris ad quietem redeuntibus, ſtatim illæ Animæ modificationes deſinunt, ita & ideæ, notionesve omnino evaneſcunt. Cum ergo quæritur, quo abeunt, receduntque ideæ, cum ab earum contemplatione Mens feriatur, optimum reſponſum erit; evaneſcunt. Ubi conſepeliuntur in Anima ne, vel in cerebro? Nullibi: nam ab Anima cui inerant, evanuere. Ecquid ſunt conſepultæ ideæ? Nihil.

§. 36 Juverit exemplo, quæ diximus illuſtrare. Ex chordæ pulſatione fit ſonitus in cithara, qui eo uſque durabit, quo perſeverat chordæ tremor, & oſcillatio. Oſcillatione, & tremore evaneſcente, ſtatim & ipſe ſonitus evaneſcit. Si ergo quæram, quo abit ſonitus, chorda ad quietem redacta, ſcite quidem reſpondebitur; nullibi, ſed evaneſcit. Ecquid eſt ſonitus, poſtquam chorda ad quietem eſt redacta? nihil, & nullibi amplius exiſtit. Pariter loquendum de Animæ ideis; ſicuti enim ſonitus in chorda nihil eſt aliud, niſi ipſius chordæ modificatio quædam, ſcilicet tremor ex externa pulſatione illatus, ita quævis idea, & notio eſt Animæ modificatio quædam ex fibrarum

cerebri commotione genita.

§. 37. At perſequamur idem exemplum. Sicuti ut redeat in chorda ſonitus, ad priſtinum tremorem & oſcillationem chorda iterum adigenda eſt; ita in Animam ut redeant veteres ideæ, notioneſve, oportet fibrarum cerebri commotiones iterum eædem redeant.

§. 38. Ita conſtituto quæſtionis ſtatu, intelligimus I. reminiſcientiam ad ſentiendi facultatem ſpectare; ejuſque phyſicam cauſſam, & originem in reſtauratis veteribus fibrarum cerebri commotionibus conſiſtere. Et ſane experientia teſtante facilior, & promptior eſt reminiſcientia in juvenibus, quam in pueris & ſenibus. In his cerebri fibrae ob humorum inopiam rigidiores fiunt, faciſemque irritabilitatem amittunt, ſicut cæteræ corporis fibræ. In pueris vero, molliores, delicatioreſque irritabilitatis parum ſunt capaces. Rurſus novimus, ſtupiditatem, rerumque oblivionem ſequi ex cerebri paralyſi: nam paralyſi irritabilitas cerebri perimitur. Qui capitis dolore vehementer, & diu laborant, paullatim obſtupeſcunt, & rerum reminiſcientia privantur. De puero novem annorum diuturniori, & vehementiori capitis dolore laborante, qui & ipſius nativæ linguæ oblitus fuit, mentio habetur in Actis Regiæ Accademiæ Pariſienſis ad annum 1761. Gravis ictus, quod M. Meſſalæ contigiſſe narrat Plinius, totam extinguere poteſt reminiſcientiam, atque profligare diſciplinas. Et referente Tucidide *l. c.* 49. plurimi eorum, qui Athenis peſti ſuperfuere ſecundo Belli Peloponneſiaci anno, tanta re-

rum

rum oblivione capti fuere, ut neque Amicorum ſuorum reminiſcerentur.

§. 39 II. Reminiſcentiæ ſedes, & quod Veteres idearum promptuarium dixerunt, conſiſtit in ea adquiſita fibrarum cerebri habitudine, qua in veteres commotiones quam facile excurrunt; (a) tum in ejuſmodi commotionum aſſociatione perpetuis experimentis teſtata, qua fit, ut earum altera excitata in aliqua fibra, aliæ atque aliæ una ſimul vel ſucceſſive excitentur in aliis atque aliis fibris (b). Revera I. Quæ majori attentione perluſtravimus, ſive quæ vehementiori ſenſatione in Animum ſunt immiſſa, tenacius, ac diutius memoriæ hærent; e contrario citiſſime e Mente excidunt, ſive quæ debiliori ſenſatione, ſive le-

(a) Equidem reminiſcentiæ ſedes in cerebro præcipue locanda venit: videtur autem in ſingulis quoque organis ſenſoriis aliquo modo reſidere. Sane Reminiſcentia ex. gr. cantilenæ, quæ perficitur quovis inſtrumento, reſidet in digitis, in auribus, & in cerebro: in digitis, queis habitudo ineſt motionum ſeriem reproducendi: in auribus, quæ nihil de digitorum motionibus judicantes, nec vel minimum eos dirigunt, ubi neceſſitas adſit, niſi ex eo, quod & ipſæ habitudinem ſibi compararunt alterius ſeriei motionum: in cerebro tandem, cui habitudo reproducendi idearum ſeriem ineſt, quæ apprime reſpondeat habitudinibus digitorum, & aurium. Jam vero facile animadvertimus habitudines a digitis comparatas; difficile illas aurium; & adhuc difficilius habitudines cerebri: at quin de hiſce dubitemus, Analogia poſtulat.

(b) Idearum conſociatio præcipue pendet 1. ab identitate loci, temporis, & objecti, ad quam ideæ referuntur: 2. a quadam ſimilitudine, ordine, & proportione quam invicem ad ſe habent.: 3. ex relationibus dependentiæ: 4. a ſignis artificialibus.

leviori attentione didicimus. II. Frequens ſtudium, & repetita earumdem idearum revocatio promptiorem & diuturniorem reminiſcientiam generat, ut adeo poſt multas repetitiones ſoleat reminiſcientia fieri habitualis, ejuſmodi nempe, ut prima recurrente idea, aliæ atque aliæ ſe invicem juxta conſuetum ordinem ſequantur, quin Mens vel minimum attendat. III. Veteres ideæ ut plurimum haud excitantur niſi occaſione externæ, & præſentis cauſſæ in ſenſus operantis, cui veteres illæ quocunque tandem modo aſſociantur.

§. 40. Sed quærent Tyrones: qui hæc irritationum habitudo, & conſociatio in cerebri fibris inſidens expedienda eſt? Sane ex ea potior reminiſcientiæ explicatio pendet. Atqui iſtud eſt quod intellectu, & explicatu impoſſibile puto. Non moror quas hactenus Metaphyſici protulere explicationes; quippe ingenuo Philoſopho arridere haud poſſunt. Certe ſi hujuſmodi quæſtionem ſuper habitudinibus digitorum quodvis inſtrumentum pulſantium inſtituere quis velit, neque in præſenti noſtrarum cognitionum ſtatu ſufficientem ſolutionem reponere auderemus: Ecquis ergo audebit illam priorem expedire? Animo concipiamus hominem vel mediocri præditum eruditione, qui plura calleat idiomata, in hiſtoria naturali, & civili ſit verſatus, quique hominum conſortia frequentet. Quanta erit in eo idearum, notionumque ſuppellex, quarum claram diſtinctamque reminiſcientiam habet? Porro ut ſingulæ ideæ Menti diſtincte recurrant, totidem & diſtinctæ in ce-

re-

rebri fibris commotiones exſuſcitari debent; id quod omnem noſtram imaginationem ſuperat. Neque heic in medium adferam peculiares quaſdam, & rariores reminiſciendi facultates, quas in quibuſdam hominibus experientia oſtendit, veluti illa *Themiſtoclis*, *Mitridatis Luculli* inter Veteres, & inter Recentiores illa *Magliabecchi*, *Wallis*, *Scaligeri &c.*

§. 41. Ex cerebri itaque mechaniſmo fieri debet, quod ideæ exhibeantur, conſerventur, & reproducantur, ſicuti ex mechaniſmo fit, quod digiti, cæterique ſenſus motionum ſeriem reproducant, quam habitudinem dicimus. Si quis ultra ſapere contendat, Auctor ſum, prius ſibi comparet adæquatam notionem ſtructuræ cerebri, nec non intimam calleat ſingularnm fibrarum conſtructionem, vires, mutuaſque ad invicem relationes. Nos interim admiremur, uti par eſt, ſummam Supremi Numinis Sapientiam atque Potentiam, cujus præclarum adeo, atque egregium opus eſt, quod cerebrum humanum dicimus. Certe hoc ejuſmodi eſt, ut ſi concipiamus Intelligentiam, quæ plene cognoſcere valeat internum ejus mechaniſmum, ſingularum fibrarum ſtatum plene perſpectum habere, nec non ſingulas harum habitudines; utique illa, omnes & ſingulas ideas Mentis in eo cerebro hoſpitantis, perlegeret veluti in libro. Singula illarum fibrarum elementa, quæ veluti totidem organa haberi poſſunt, illius Intelligentiæ reſpectu idem forent, quod noſtri reſpectu typographici characteres.

ART. III.

De Recognitione.

§. 42. AD Memoriam proprie ſpectat, quod dicimus idearum *recognitionem*. Si enim veteres ideas Menti recurrentes percipiamus, minime vero nobis conſcii ſimus, illas veteres eſſe, nempe eaſdem quas olim percepimus, reiterata iſthæc ſive notio ſive perceptio ad memoriam nonniſi improprie referetur.

§. 43. Licet reminiſcientiæ cauſſam incompertam adhuc habeamus, recognitionis tamen idearum facilem explicationem exhibere autumamus. Duo ſunt principia, ex quibus illam derivamus. I. Interior experientia, qua a teneris unguiculis novimus diſcrimen quoddam inter ideas, notioneſve Menti recurrentes ex reminiſcientia, & ideas notioneſve actuali ſenſatione in Animam incurrentes. Licet enim verbis non poſſet explicari diſcrimen iſtud, interiori tamen ſenſu diſcimus, alio prorſus modo Mentem afſici ex ſenſatione objectorum præſentium, ac ab ideis notionibuſve eorumdem abſentium. Videtur hoc diſcrimen in eo poſitum, quod ſenſatio Animam vividius, ac veluti intime afficiat; e contrario leviter commoveant ideæ, notioneſve objectorum abſentium, & quaſi a longe ei exhibeantur. II. Lex illa adſociationis idearum, qua fit, ut una recurrente idea, vel notione, ſimul recurrant Menti una vel plures aliæ, quocunque tandem modo, priori adſociatæ.

§. 44.

§. 44. Sane recurrat Menti idea, vel notio objecti cujuſvis; ſive id fiat ex interiori quavis cauſſa, ſive ex externæ cauſſæ actione. Vel in hujus ideæ recurſu excitantur in Mente ideæ ei adſociatæ ex priori ſenſatione, vel non. Si primum; ejuſdem objecti idea in duplici idearum ſerie Menti obverſabitur; in ſerie ſcilicet præſentium circumſtantiarum temporis, loci, aliorumque objectorum adſtantium, & ſenſus percellentium, & in ſerie idearum ſociarum ex veteri ſenſatione, quæ per reminiſcientiam reſtaurantur. Cum ergo altera ſeries, ab altera interiori ſenſu dignoſcatur §. præc. n. 1., facile eſt recognoſcere, objectum, quod modo Menti occurrit, alias quoque occurriſſe.

§. 45. Si vero ex alicujus ideæ recurſu (quacumque ex cauſſa hic fiat), nullæ excitantur ideæ ſociæ temporis, loci &c., nulla fit recognitio, vel incerta admodum, & obſcura, ſi nimirum obſcure, & confuſe fuerint excitatæ ideæ ſociæ. Experientiam appello. Hinc eſt, quod ſi hanc recognitionem claram, & diſtinctam reddere quærimus, conamur veteres circumſtantias loci, temporis, perſonarum &c. revocare, vel ut alter commemoret, flagitamus. Hæ ideæ Mentem redeuntes lege adſociationis veluti ſtipantur illam, cujus recognitionem quærebamus, ſicque ipſa recognitio redit. Eadem eſt explicatio recognitionis idearum reflexione genitarum.

CAP

CAP. III.

De Facultate attendendi, & reflectendi.

§. 46. MEntem a vividis, clariſque ſive ſenſationibus, ſive ideis veluti pertrahi, atque occupari; nec non iiſdem libenter cedere, & conquieſcere, quilibet intimo ſuo conſcientiæ ſenſu edocetur. Atqui & interiori experientia non minus conſtat Mentem facultate pollere vividis etiam, clariſque ſive ſenſationibus, ſive ideis obnitendi, quominus iis afficiatur, ſeque convertendi ad alias ſive ideas, ſive ſenſationes etiam remiſſiores, & hiſce elicito veluti conamine intenſius vacandi.

§. 47. Iſtud Mentis elicitum veluti conamen, quo ipſa ſe determinat, ac defigit in peculiari aliqua ſive ſenſatione ſive idea perſequenda, *attentio* nuncupatur; & *attendendi facultas* illamet Animæ vis, e qua illud conamen procedit. Attentionis vero translatio, quam ſcientes, & prudentes efficimus ex uno in aliud ſucceſſive objectum, vel ex una in aliam ejuſdem objecti partem, *reflexio* dicitur. *Facultas* adeo *reflectendi* illamet eſt facultas, quam attendendi dicimus, quatenus nobis animadvertentibus, ac volentibus, plura ſucceſſive perluſtrat objecta, ex uno ad aliud rimandum pergit, reditque ad alterum.

§. 48. Attendendi facultas alia putanda eſt a facultate ſentiendi, etſi hanc perpetuo comitem ha,

habeat. Sane in ſenſationibus excipiendis Mens paſſive ſe habet §. 18. Cum corporis organa externis cauſſis pulſantur, nihilque impedit quominus ad cerebrum hæ pulſationes deducantur, velit ipſa, nolitve, certas experiri debet ſenſationes. E contrario in attentione determinanda, licet Mens plurimum juvari, vel in transverſum agi poſſit ab ipſa idearum conditione, active tamen, & libere ſe gerere animadvertit.

§. 49. Per attentionem Mentis ſenſationes & ideæ vividiores fiunt & clariores: e contrario hebetantur, & dilabuntur illæ a queis attentionem avocamus. Prædem do experientiam.

§. 50. Ex dictis §§ 48. 49. attendendi facultas haud diverſa cenſenda videtur ab illa vi, qua Anima in corpus gaudet, & qua corporis membra, & cerebri fibras perciere valet. Hac equidem vi fieri I. intelligitur, eccur Mens alicui externo objecto incumbens ſenſuum fibras tendat, & ſenſus ipſos opportunius adplicet objectis, ut vividiori percellantur commotione, cui vividior reſpondet ſenſatio. Ita oculi attentius intuentis directe & immobiliter in objectum defiguntur: Audientium aures intenduntur, & auditorius meatus magis patet. Guſtanti & palpanti, linguæ, & digitorum papillæ eriguntur &c.

II. Intelligitur, eccur ſi vehemens, ac paullo diuturnior fuerit Mentis attentio in perluſtrandis ideis, præſto aderunt phænomena, quæ tenſionem validiorem in fibris teſtantur: ex. gr. Capitis dolor, oculorum rubor, facies tenſa, & alia hujuſmodi. Legatur *Tiſſot de Litterat. valetud. tuenda*.

III.

III. Hinc ratio deſumitur eccur per attentionem ideæ vividiores fiant, & clariores. Fibrarum enim commotiones, queis ſenſitiva facultas cietur, & ideæ excitantur in Mente, foventur, fiuntque intenſiores. Tum per attentionem Mens veluti preſſius certis fibris ſeipſam applicat; ſicuti e contrario recedere videtur ab aliis, a quibus ſuam avocat attentionem, unde harum commotiones, & reſpondentes ideæ langueſcunt; illæ e contrario foventur, fiuntque vividiores.

§. 51. Attendendi vis tum extenſive cum intenſive in hominibus admodum diſcrepare continua edocet experientia. Revera quæ attentionis intenſitas in Archimede, qui, ut fertur, mathematicis ſpeculationibus totus incumbens, captæ civitatis clamores non ſenſit, diripientes furenteſque romanos milites, nec non fugientem undequaque populum & obſtrepentem minime animadvertit? Quam mira attentionis extenſio in Julio Cæſare, de quo ajunt, ſeptem diverſas, aut ſi ipſe ſimul ſcriberet, quatuor epiſtolas calamo exarandas dictaſſe?

§. 52. Attendendi facultas, quum præſertim reflectit, maximopere commenda venit, atque adeo ſummo ſtudio colenda. Ea ſane fœcunda parens eſt omnium humanarum ſcientiarum: Ea rerum, quæ ſunt a ſenſibus remotæ, ideas præſtat: Ea tandem Principes in re litteraria conſtituit. Quod ut in propatulo ponatur per ſingulas intelligendi facultates percurramus. Ac I. *Analyſis* reflexionis eſt opus. Analyſim enim inſtituere dicimur, cum plura ſimul poſita objecta ſeorſim, & ſigillatim perſcrutamur, vel ſingu-

gulas ejuſdem compoſiti objecti partes, & relationes. Id vero ad reflectendi vim ſpectat. II. *Abſtractio* eamdem habet originem: fit enim abſtractio cum objecti compoſiti partem contemplamur ſeorſim a cæteris partibus quibus conſociatur. III. Nec non *Conſcientia* ex eadem reflexione derivat; cum nimirum noſmetipſos, & ea quæ in nobis geruntur ſucceſſive perluſtramus. IV. *Intellectus* neque eſt facultas ab illa reflectendi diſtincta. Cum enim idearum diſtinctarum repræſentatio, quæ intellectui vulgo attribuitur, e reflectendi vi pendeat, ad hanc illum revocandum eſſe quiſque intelligit.

§. 53. V. Sicuti per reflexionem plures ſucceſſive perſcrutamur ideas, ita per contemplationem Menti ſimul præſentes ſiſtere ſolemus. Cum reflexioni contemplatio accedit, in quo ideæ conveniant, & in quo diſcrepent, facile animadvertimus. Si nempe aliquid eorum, quæ in una idea pervolvenda novimus in altera pariter occurrat, in quo conveniunt animadvertimus: ſi vero aliquid eorum, quæ uni ineſſe ideæ per reflexionem novimus, pugnare agnoſcamus uni vel pluribus, quæ alteri ideæ inſunt, quænam ſit idearum diſcrepantia, innoteſcet. Pari modo quaslibet alias idearum relationes perſcrutamur; nempe comparatio idearum nihil eſt aliud, niſi ſimultanea idearum per reflexionem prius perluſtratarum contemplatio. Cum itaque Mens animadverſæ idearum, notionumque relationi acquieſcens, *judicare* dicatur; ambigendum profecto non eſt, *judicandi facul-*

ta-

tatem ad illam reflectendi revocandam eſſe.

§. 54. VI. Ratiocinari dicimur, cum idearum A puta & C convenientiam, vel repugnantiam, vel quamvis aliam relationem intuitive non percipientes, illam deprehendere ſatagimus per interpoſitionem mediæ ideæ B. Media porro hæc idea nonniſi ex reflexione, & analyſi primarum idearum A & C Menti occurrit. Hæc enim media idea, vel una eſt ex ſimplicibus, quæ in compoſitis ideis A & B continentur; vel ejuſmodi eſt, ut dum alteram puta A continet, ipſa tamen in altera B contineatur; ex quo inferimus etiam A in B contineri. Alterutro modo res ſe habeat, evidens eſt, Mentem ſuam ratiocinationem nonniſi reflexione abſolvere.

§. 55. VII. Facultas generalium idearum nexum, & relationem clare pervidendi, *Ratio* communiter appellatur. Hoc ſane ſenſu Tullius de off. l. 1. hoc vocabulum uſurpavit. *Homo enim, quod rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſſas rerum videt, earum progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, rebuſque præſentibus adjungit, atque adnectit futuras, facile totius vitæ curſum videt, ad eamque degendam præparat neceſſarias.* Sed idearum nexus ac relationes reflexione aſſequimur. Quam ergo dicimus Rationem, reflexione comparamus.

§. 56. Mox allata definitio Rationem *ſubjective* inſpectam reſpicit. Sed hoc vocabulum *Ratio* poteſt & *objective* uſurpari, quo reſpectu determinatum idearum numerum, atque nexum importat. Hoc ſenſu dicimus communem quamdam

dam rationem hominibus inſidere: Nempe cum ſinguli homines, quacumque patet tellus, ſimiles & naturam, & ſenſus habeant; nec non unam, & ubique uniformem naturam rerum ſenſibus ſubjectam, ita & communes quaſdam, conſtanteſque habent notiones. Harum perſpicientes nexum, merito communem quamdam rationem habere dicimur: id quod *communem ſenſum* alii appellant.

§. 57. De Ratione *ſubjective* inſpecta intelligendum eſt effatum illud *hæc doctrina eſt ſupra rationem*. Nempe ſicuti perſæpe fit, ut rerum idearumque nexus perſpicientiam unius exſuperans, alterius perſpicaciam minime effugiat; ita fieri quandoque poteſt, ut ſingulorum hominum perſpicientiam penitus eludat. Hujuſmodi ſunt, quæ dicimus caſtiſſimæ noſtræ Religionis Dogmata.

§. 58. Quid vero ſibi vult hæc alia expreſſio, *talis doctrina eſt contra rationem?* Heic vocabulum ratio objective ſumitur: Nempe cum quis nexum tribuit ideis omnino oppoſitum ei, quem omnes clare perſpicimus iiſdem ideis revera ineſſe; modo illum contra rationem effutire pronunciamus, & propoſitionem ejuſmodi abſurdum idearum nexum complectentem contra rationem eſſe decernimus. Interim advertant Tyrones, claras diſtinctaſque eſſe oportere ideas, ut decernere poſſimus, determinatum nexum, relationemque ipſis tributam abſonam eſſe, & rationi contrariam. Sin minus ab hujuſmodi decernendi prurigine cohibenda Mens eſt, ne contra rationem ipſi nos judicemus. Hæc con-

contra eos dicta ſint, qui effræna nimis judicandi licentia freti, caſtiſſimæ Religionis dogmata contra rationem eſſe, arguunt, non minus impie, quam imperite. Num ne Scioli iſti præter omnium hominum conditionem claras diſtinctaſque habent ideas, quibus illa Dogmata conſtant?

CAP. IV.

De Imaginatione.

§. 59. Rerum ſenſibilium licet abſentium imagines tam vivide Menti quandoque occurrere, ipſamque concitare, perinde ac res ipſæ præſentes eſſent, & ſenſibus ſubjectæ, frequens experientia teſtatur. Vis iſthæc tam vivide ſiſtens Menti objectorum abſentium imagines, *facultas imaginandi* dicitur; ipſe vero idearum occurſus *imaginatio* appellatur.

§. 60. Phyſicam imaginationis cauſſam in facili fibrarum cerebri mobilitate, ac nimia irritabilitate conſiſtere, nihil eſt quod dubitemus: atque adeo imaginandi facultas haud putanda eſt alia a facultate ſentiendi. Egregie ad rem noſtram Boerhavius tom. 4. præl. ac in ſuas inſtit. med. n. 586. *Si a cauſſa interna eadem, & æque vivida impreſſio in ſenſorium commune facta fuerit, quæ quidem ab externo objecto ſolebat fieri; cogetur utique Mens æque credere imaginationi, ac ſenſibus ſolet credere. Si ſenſorium meum ita diſpoſitum fuerit, uti diſpoſitum eſt, quando circulum rubrum ante oculos video, credam utique videre me circulum rubrum,* li-

licet ducenti homines me circumſtarent, qui communi conſenſu negarent adeſſe circulum rubrum.

§. *61*. Intenſior ac vividior iſthæc commotio, quæ imaginationem gignit, vel ex ipſa cerebri phyſica conſtitutione, totiuſque corporis temperamento pendet; vel ex illo Mentis conamine quod §. 47. attentionem diximus; vel tandem ex utraque ſimul cauſſa. In priori caſu Mens in imaginando paſſive ſe gerit, æque ac in ſentiendo: neque imaginationes queunt ipſi aliter attribui, niſi in quantum contra non obnitatur, vel objecta quærendo, quæ ſenſus concutiendo illam ab imaginationibus avocent, vel alias, quantum fieri poteſt, vividiores ideas, excitando, quæ priorem imaginationem obtundant.

§. *62*. Atqui ſtupendos prorſus imaginationis effectus, ſaltem præcipuos, heic percurramus operæ prætium eſt. Ac I. tanta quandoque, ac tam vivida eſt imaginatio, ut tanquam realiter præſentia, ac ſenſibus ſubjecta Menti exhibeat objecta, quæ nullam tunc temporis habent realem exiſtentiam. Hoc equidem phænomenon Omnes in ſomnio experimur; conticentibus enim externis ſenſibus vividior efficitur imaginatio. Sed & vigilantibus occurrere ſolent hujus generis deceptiones, præcipue cum concitatioribus affectibus Animus agitatur: præſertim vero eas videre eſt in ſexu muliebri, quippe qui mobiliores cerebri fibras gerit. Legatur *Muratorius* (*Forza della fantaſia c.9.*). Diabolos præcipitatos a Deo pingens *Spinellus* tam atrocem vultum Lucifero tribuit, ut & ipſe fuerit hor-

rore perculſus: poſthac, quod vixit tempus, oculis continuo portavit hunc Dæmonem ſævam exprobantem picturam. Ita ſpiritus Torquati Taſſi pro vera imaginationis illuſione cenſendus. Huc ſpectat celebris hiſtoria *de' Vampiri*. Legatur *Forges Davanzati Tranenſis Antiſtes*.

§.63. II. Huic priori prorſus affinis eſt altera imaginationis illuſio, qua plures affectiones experimur in corpore, nulla licet exiſtat realis ejus generis cauſſa. In hunc cenſum præcipue veniunt Ægri illi, qui vulgo imaginarii audiunt, qui nimirum malis premi arbitrantur, quibus nonniſi in imaginatione laborant. Exemplum ſatis elegans ex Malebranchio adferam. „ Sane „ quodam ægrotante factum eſt, ut Ancilla can„ delam admoveret, dum ipſi ægro venæ pe„ dis inciderentur; ſimul ac illa ſcalpellum vi„ det infixum, tantus pavor illius pervaſit ar„ tus, ut per triduum, aut quatriduum in eo„ dem pedis loco, quem viderat incidi, ſen„ ſerit dolorem adeo acerbum, ut per illud „ tempus in lecto decumbere coacta fuerit *Re*„ *cher. de la Verité liv. 2. part. I. chap. 7. n.* 2. Non ſingularis Medicis occurrit obſervatio, qua conſtitit, nonnullos de ſævis lamentari doloribus in illo corporis membro, quo jamdiu per amputationem caruerunt, & male ſe habere modo in uno, modo in altero manus, qua carent, digito. Nempe hæ ſenſationes ex interna cauſſa cerebri fibras, quæ ad datas corporis partes relationem habent, vehementer commovente, dependent.

§.64. III. Vi imaginationis vivide perculſæ exci-

citantur in nobis etiam invitis motiones iis ſimiles, quas in aliis obſervamus. In charitatis domo *Harlem* Virgo timore correpta in convulſiones periodice recurrentes incidit. Alia Virgo paroſiſmo adſtans eodem morbo affecta fuit. Sequenti die idem morbus aliam adſtantem Virginem corripuit. Tertia dies tertiam Virginem ſimiliter eodem morbo proſtratam vidit; & ita deinceps, ſingulas quaſi Virgines in ea domo degentes idem corripuit morbus. Medicorum conamina irrita fuere; donec Boerhavius obſervatione edoctus unius paroſiſmum in ſimilem commotionem cæteras Virgines in eodem cubiculo degentes mox adigere, morbum non realem eſſe, ſed ex commotis imaginationibus pendere, optime novit. Quare ad iſtud imaginationum ſyntoma præcavendum ſe convertit. Præſcripſit ergo plures in cubiculo coram parari fornaces continuo ardentes, e quibus præſcriptæ figuræ ferrea inſtrumenta candeſcentia educi poſſent ſingulis momentis infligenda brachio cujuſcujusque, mox ut conſuetis corriperetur convulſionibus. Terror ex tam atroci medicamine ſingularum artus pervaſit, & intentum effectum extemplo produxit; ſingularum nempe imaginatio nova commotione curata fuit, & morbus ex imaginationum contagio pendens profligatus eſt (a).

(a) Ex imaginationum contagio excitatur in Mentibus vis quædam morum, ac facinorum imitatrix, quæ in aliis, quibuscum vivimus, obſervamus. Quæ exemplo

§. 65. IV. Objecta ſenſibus expoſita vi imaginationis diverſimode prorſus adparent, ac revera ſunt. In hunc cenſum veniunt ex. gr. qui animum geſtant pavidum: hi enim in ſubdubia luce ſui ipſius corporis umbram expaveſcunt tamquam horribile & inſolens phantaſma. Tum quot quot vehementiori concitantur affectu, de rebus, quæ vident, audiuntve turpiſſime judicant, ſua tamen judicia rectiſſima putantes (*a*). Fibræ nimirum cerebri ex vi affectuum ad certas commotiones diſpoſitæ, ac proclives, ex minima quavis cauſſa externa, ut minimum affini, ad illas ſuſcipiendas facillime determinantur. Atque hinc Menti exhibentur ideæ vel maxime difformes ab objectis realibus.

§. 66. V. Alias vis imaginationis, Animam veluti detinet, & in ſe rapit, ut ita externorum objectorum actiones in ſenſus minime advertantur. Qui grave negotium Mente gerunt, & toti ſunt in illius contemplatione, quandoque nec prætereuntes cernunt, nec vocantes audiunt. Huc ſpectat, quod de Archimede alias diximus §. 51. Divus Auguſtinus Presby-

plo & educationi tribui vulgo ſolent, reipſa ex inducta in imaginationem modificatione, & quaſi contagio quodam derivant. Hinc eſt quoque, quod aliorum affectus Mentem noſtram quandoque ſubeant, nempe læti ſimus cum lætis, mœrentes cum mœrentibus &c.

(a) Huc ſpectant Ciceronis verba *l. 2. de divinat. Sanguinem pluiſſe ſenatui renunciatum eſt: atratum fluvium fluxiſſe ſanguine: deorum ſudaſſe ſimulacra. . . . atque hæc in bello plura, & majora videntur timentibus: eadem non tam animadvertuntur in pace.*

byterum quemdam *Reſtitutum* nomine laudat ſuo tempore viventem, qui, & ſponte ſua, & ab amicis rogatus adeo ſe e ſenſibus evocabat, ut non ſolum coram loquentes non audiret, ſed neque punctiones, neque inuſtiones ſuo corpori illatas ſentiret, niſi cum ab alienatione Mentis ad ſe iterum redibat.

§. 67. Tandem cum imaginatio ex facili cerebri irritabilitate dependeat, conſequitur, illam ex mutato corporis, & cerebri ſtatu obtundi poſſe, nec non obtuſam reviviſcere. Id cum ex pluribus fieri queat cauſſis, tum præcipue ex ætate, cibo, potuque plurimum pendet. At haud prætereundum eſt, morboſa aliqua cauſſa fieri quandoque, ut imaginatio, & memoria alias obtuſa, & difficilis, vivida fiat, ac facilis ex inducta in cerebri fibris ſenſibilitate, ſeu irritabilitate majori. Nempe, quæ cerebri fibræ olim agitatæ propter craſſiorem conſtitutionem, parvam, aut nullam mobilitatem ſuſcipientes, minus aptæ erant quominus veterem commotionem renovarent; modo mobiliores, ſenſibilioresque effectæ, illam diſtincte queunt renovare; adeoque, quæ olim obtuſa, difficilis, vel nulla ſubibat Menti imaginatio, & memoria, clara fiet, facilis, & prompta. Hinc ſtupendi prorſus phænomeni rationem depromere facile poſſumus, eccur nempe Rudes, & illiterati homines febri & delirio correpti plura quandoque loquantur erudite, & idiomate antehac ipſis prorſus incomperto; tum hæc iterum ignorant, ſtatim ac febri, & deli-

rio reliquuntur. (a)

§. 68. Ad vim imaginationis Mulierum prægnantium referunt Nonnulli monſtruoſos & informes, quos illæ edunt quandoque partus, tum partuum inſolentes maculas. Sed nolim ego quidquam de hac re decernere.

CAP.

(a) Adoleſcens, quem Præceptor nihil unquam edocere potuit, quique nec callebat, ut vulgo dicitur, adjungere adjectivum ſubjectivo, poſt aliquot dies febris malignæ, latine loquebatur, nil hæſitans; doctrinas antehac ſibi ignotas recitabant, ideaſque quibus eatenus caruerat, egregie ediſſerebat. *Medicin. ſepten.* t. 1. p. 88. Huart (*Examen des Eſprits*) Ruſticum memorat bardum, qui delirio correptus, eloquentiſſimus evaſit: nec non quemdam famulum, qui craſſiſſimæ licet minervæ, & ideis vacuus, morbo tamen laborans, cordatioris politices eruditus apparuit. Eraſmus italum cognovit, qui in morbi acceſſionibus germanicum idioma, quod nunquam didicerat, loquebatur. &c. . Hæc phænomena, & alia hujuſmodi quamplura imperite, & oſcitanter inter miracula rejicerentur, vel magicos effectus. Sola fibrarum cerebri diſpoſitio vi morbi mutata hos omnes producit effectus. Nempe impreſſiones olim habitæ, at debiles, quominus ſenſibilem gignerent effectum in cerebri fibris parum mobilibus, novam majoremque vim nanciſcuntur fibra irritabiliori, ac mobiliori per morbum effecta; ſicuti pondus quod machinæ rubiginoſæ adplicitum nullum in ea motum ciet, extemplo tamen eamdem in motum agit, ſi rubigine polita fuerit, ejuſque axes ex inuncto oleo mobiliores efficiantur.

CAP. V.

De Facultate appetendi, ejuſque objecto: ubi de affectibus ſummatim.

ART I.

De Facultate appetendi, ejuſque objecto.

§. 69. Cuique ad intimum ſuæ conſcientiæ ſenſum attendenti ſequentia liquent. I. Animus ex quavis ſibi objecta boni, malivi ſpecie agitatur; nempe erga objectum quod bonum cenſet inclinationem, & niſum vel invitus experitur; e contrario, declinationem a malo, & veluti reniſum quemdam ad ei obſiſtendum. Illa Animi inclinatio, & veluti niſus ad bonum, *appetitionis* nomine deſignatur; & contra *averſatio* dicitur Animi declinatio, ac reniſus a malo.

II. Quo majus Menti objicitur bonum, malumve, eo vividior eſt appetitio vel averſatio; & contra, ut ita ſint appetitiones & averſationes in directa ratione bonorum, malorumve Menti repræſentatorum.

III. Appetitiones, & averſationes non ſunt in noſtra poteſtate, niſi quatenus Mentem ab objecta boni, malive ſpecie avertere poſſimus. Cæterum licetſi bonum minime proſequamur, malumve fugiamus, intrinſecus tamen experimur niſum erga bonum, ſeu appetitionem, & reniſum a malo, ſeu averſationem quouſque boni vel mali repræſentatio in Mente perdurat.

§. 70. Quæ mox expoſuimus evidenter o-

ſtendunt, natura nos erga bonum ferri, malumque averſari; ſeu inſitam Mentibus noſtris vim eſſe natura ſua ad bonum inclinantem, & declinantem a malo. Merito Tullius *qq. tuſc. l.* 4. *c.* 6. *Natura omnes, quæ bona videntur, ſequuntur, fugiuntque contraria. Quamobrem ſimul objecta boni ſpecies cujuſpiam eſt, quod bonum videatur, ad id adipiſcendum impellit natura.*

§. 71. Vis illa Menti inſita, quæ eam ad bonum naturaliter inclinat, declinatque a malo, *facultas appetendi*, & *averſandi* appellatur.

§. 72. Appetitionis & averſationis ſufficiens ratio in objecta boni, malive ſpecie continetur, non in reali bono, & reali malo. Nam licet quamplurima nos circumſtent bona, vel mala realia, niſi Mens ea pernoſcat, neque appetet, neque averſabitur, & ita ſe habebit, ac ſi illa bona vel mala non circumſtarent; at vero ſimul ac illa pernoſcit, extemplo a bonis allicitur, refugitque mala. Perſæpe fit quoque, quod Animus realia bona, mala cenſeat, & averſatur; contra vero perſequatur realia mala, quæ bona putat. Itaque averſationis, & appetitionis ſufficiens ratio in repræſentatione ſeu opinione mali, bonive conſiſtit.

§. 73. Non ſinguli homines æque iisdem objectis afficiuntur, neque easdem & ſimiles de iisdem rebus ideas habent, neque tandem æquali pollent ratione, qua rerum naturam, relationesque complectentes, illarum bonitatem malitiamve aſſequantur. Proinde in perſpicuo eſt, ecur tantum ſit inter homines appetitio-

num

num, atque averſationum diſcrimen. Sane quod uni bonum apparet, alteri malum videtur, & contra. Quod uni voluptatem conciliat, alteri dolorem, tædiumque ingenerat. Ipſi nos ſententiam de bonitate & malitia ejusdem objecti pluries in hora, & quaſi momento temporis pronunciamus, & mox delemus. Qui in tanta affectionum, idearum, & calculi diſcrepantia ſtare poſſet appetitionum, averſationumque identitas?

§. 74. Quae appetitiones & averſationes in Anima excitantur ex confuſa bonorum, malorumve repræſentatione ope ſenſuum & imaginationis facta, appetitiones *carnales*, ſeu *animales* dicuntur. *Rationales* e contrario appellantur illæ, quas Mens concipit ex clara, & diſtincta bonorum, malorumve ſpecie ipſi exhibita a ratione. Porro perſæpe fit, ut quæ veluti bona vel mala Menti repreſentantur ſenſuum, & imaginationis ope, ea itidem bona vel mala ex ratione dijudicemus. Hinc duplex in Animo excitabitur appetitio vel averſatio, carnalis ſeu animalis altera, altera rationalis; & modo ambæ hæ convenient. Alias contra fit, ut quæ tamquam bona vel mala Menti ſiſtuntur ſenſibus & imaginatione, ea tamquam mala vel bona ratio decernat. Quare appetitio carnalis cum averſatione rationali pugnabit, & viciſſim; adeoque Mens in diverſa, & contraria diſtrahi experietur, & internum luctamen, conflictumque patietur. Huc ſpectant illa Apoſtoli verba: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi Mentis meæ.*

Nem.

Nempe in Apoſtoli Anima ex ſenſuum illecebris appetitiones excitabantur erga objecta, quæ ipſe Apoſtolus averſabatur ut mala ex monitu rationis.

§. 75. Hanc pugnam ut explicarent veteres Philoſophi duplicem diſtinxerunt appetitum, animalem & rationalem: tum non uni eidemque ſubjecto utrumque tribuerunt, ſed diverſis. Opinabantur nimirum, duplici parte Animam conſtare, *intellectiva*, ſeu *ſuperiori*, cui appetitum tribuerunt rationalem, & *ſenſitiva* altera, quam *inferiorem* dicebant, in qua animalem appetitum poſuerunt. Has Animi partes & revera diſtinctas eſſe, & ſecum ipſas pugnare, veluti Equus cum Equite (quæ locutio Platoni in primis familiaris eſt), autumabant. Atqui doctrina iſthæc ſenſui intimo, quo eum conflictum in uno eodemque individuo ſubjecto ineſſe experimur, repugnat. Accedit quod cum Anima ſit incorporea, & ſimplex ſubſtantia (ut ſuo loco evincemus), vocabula partium inferioris & ſuperioris, vocabula ſunt nihili.

A R T. II.

De Affectibus.

§. 76. **Appetitio, vel averſatio vehementior, & cum inſolenti naturæ humanæ commotione ſociata, *affectus* appellatur. Equidem quævis boni vel mali repræſentatio appetitionem, vel averſationem ciet:**

at

at non quævis appetitio, & averſatio affectus nuncupatur; quæ incitatior eſt, & intenſior hoc nomine denotatur. Affectus itaque nonniſi ex repræſentatione boni vel mali, quod gravioris momenti putamus, pendet, §. 70.

§. 77. Inſolens humanæ naturæ commotio, quæ affectum comitatur, ex actione Animæ affectu percitæ in commune ſenſorium ſeu cerebrum gignitur. Ex intimo enim vinculo, quo Anima, & corpus conſociantur, quoad homo vivit, fit, ut ſicuti ſingulæ corporis commotiones nervorum ope ad cerebrum traductæ Animam afficiant, ita reciproce Animæ commotiones ex repreſentatione bonorum, malorumve genitæ nequeunt in cerebrum non derivare, ipſumque determinato, quodam modo agitare. Cum porro e cerebro originem ducant quotquot per corpus dilabuntur nervi; hinc intelligitur eccur ex Animi vehementiori appetitu vel averſatione, concitato cerebro, & nervis, inſolentes naturæ humanæ commotiones oriantur (a). Ita ex terrore perculſus Animus faciei pallorem, cordis palpitationem, artuumque tremorem comites habet. Ex ira inflammatur Vultus, ſinguli tenduntur, atque convelluntur nervi. Ex amore per-

(1) Non quævis Animæ commotiones in ſingulas cerebri partes derivant, neque eodem modo: ſed ſingulæ certas, ac determinatas partes cerebri afficiunt, & determinato modo. Hinc ſinguli Animæ affectus determinatos cient in corpore motus, qui quandoque ſunt diverſi, quandoque prorſus oppoſiti juxta affectuum naturam, & intenſitatem.

percurrit mollis flamma medullas &c. Hinc in numera phyſica mala, quæ ſapientes Medici norunt.

§. 78. Cum natura ſua Mens in bonum feratur, malumque refugiat, liquido conſtat, affectus humanam naturam, qualis modo eſt, neceſſario conſequi. Quid ergo ſibi volebant Stoici, cum affectus, Animi morbos appellantes, in Virum ſapientem minime cadere pertinaciter autumabant? Num ne ſapientia eo pertingere poteſt, ut hominem ſua expoliet natura, & alia prorſus commentitia induat? At nemo unus ex Stoicorum familia ad hunc ſapientiæ apicem devenit. Equidem qui in humana natura deleri affectus optaret, ille & vim qua Mens bonum naturaliter appetit, refugitque malum, radicitus ab ipſa Mente avulſam vellet. Hoc ſemel conceſſo, non video, quid homo a crudo diſtaret latere: nempe hiccine erit Stoicorum Sapiens?

§.79. Atqui humana natura, & ut ſit, & bene ſit, ſibi non ſufficit; bona proinde quibus caret, proſequatur oportet, declinetque ab impendentibus malis. Bona vero proſequi non poteſt, niſi ipſorum bonorum appetitu incitata; neque mala refugere, & propulſare, niſi odio percita erga mala, quæ ſunt inimica felicitati. Sunt itaque affectus nedum neceſſaria humanæ naturæ conſectaria §. 70., ſed ipſi & ut ſit, & bene ſit omnino neceſſarii elateres.

„ §. 80. Sunt præterea affectus inſtar vectium
„ quorumdam, quibus mirifica in homine ex-
„ citatur, aliturque magnarum rerum effectrix
„ vis, nec ſine magnis affectibus quidquam e-

gre-

„ gregium, & præclarum unquam ab homini„ bus factum. Ratio in nobis recta, nullo im„ petuoſiori affectu concitante, conſtantius ope„ ratur, & æquabilius, ſed eximium quidquam, „ & diſtinctum ipſa per ſe ſola efficiet nun„ quam. Eadem, ubi natura vehementiſſime „ affecta eſt, velut erigitur, ac, licet paullo „ turbolentius, efficit tamen quæ mira videri „ poſſent naturæ humanæ vires omnes ignoran„ tibus. Itaque Plato ſæpe ſcribit, magnorum „ virorum fuiſſe neminem ſine enthusiasmo „ quodam, ideſt vehementio riaffectu: *Ant. Genuenſis Methaph. part. tertia*, *Schol. prop.* 43.

§. 81. Boni, malive repræſentationes in Mente factæ ſive ſenſuum renunciationibus, ſive rationis adminiculo; non ſemper ſunt ex æquo conformes realibus, concretiſque objectis, quibus illas referimus. Quare neque affectus ex hujusmodi repræſentationibus geniti ſemper proportione reſpondebunt bonis, maliſque realibus. Hinc duplex affectuum partitio ex eorum relatione ad objecta. Alii nimirum ſunt *veri*, alii vero *falſi*. Veri dicuntur, qui objecta realia reſpiciunt, & ipſis realibus objectis proportione reſpondent. *Falſi* vero, qui vel nulla habent objecta præter quam in imaginatione, aut realium objectorum bonitati, malitiæve minime reſpondent.

§. 82. Cum affectus falſi ex falſis bonorum, malorumve fiant repreſentationibus §. *præc.*: falſæ vero repræſentationes vel ex ignorantia vel ex errore, vel tandem ex machinæ vitio proficiſcantur: Error & ignorantia falſorum affectuum

ctuum ſcaturigines primæ ſunt habendæ; queis & machinæ vitium aliquod adcenſeri poteſt. Quæ cum ita ſint, liquido conſtat, ex aucta & emendata primum ratione, tum ex longa diſciplina, & obſervantiori educatione plurimum poſſe intra ſuos terminos affectus contineri. Atque hoc fortaſſis eſt quod Stoici dicere intelligebant, decernentes non cadere in Sapientem affectus, quod ſcilicet affectuum exceſſus cum Sapientia pugnant.

§. 83. Cum appetitio nihil ſit aliud, quam Animæ niſus, ac veluti pondus in bonum perceptum: averſatio vero ſit reniſus a malo, ac veluti reactio quædam, videtis quemlibet affectum ad amorem, vel odium generatim revocari poſſe. Specificum vero diſcrimen optime derivabitur I. ex vario ſitu boni, malive noſtri reſpectu; II. ex ipſius boni, malive diverſa ſpecie.

§. 84. Nempe bonum, malumve perceptum vel præteritum tempus, vel præſens, vel futurum ſpectat. Amor præteriti boni, *complacentiam* vel *angorem* gignit, prout Mente concipimus nos olim eo fruitos eſſe, vel caruiſſe, aut modo carere. Amor boni præſentis, nempe boni, quo in præſenti tempore fruimur *gaudium*, *lætitiamve* gignit pro varia ipſius boni intenſitate, (a) Quam lætitiam, ſi in longum ea producatur tempus, ſeu ſi boni fruitio longo

(a) *Gaudium & lætitia* potius pro animi ſtatu, quam pro affectu cenſeri videntur.

go tempore duret, *hilaritatem* appellamus. Si vero bonum quod Mente complectimur ad futurum tempus reſervatur, illius amor eſt quod dicimus *deſiderium*; huic ſi accedat Mentis judicium de probabili conſequutione ejuſdem boni erit *Spes* vel *fiducia* juxta minorem, vel majorem probabilitatem. Quod ſi ut improbabile illud bonum prævideamus, vel ſi noſtras vires parum, nihilve ad illud conſequendum comparatas agnoſcamus, deſiderium cum improbabilis conſequutionis judicio ſociatum *timorem* gignet, vel *diffidentiam*. Vel tandem fiet Animi *angor* ſi bonum, in quod tendimus ſummi opinemur momenti, noſque ad illud conſequendum omnino impares.

§. 85. Odium mali præteriti modo Menti recurrentis, *angorem* generat. Odium in malum, quod actu animum premit, & angit. *afflictionem* gignit, *moleſtiam*, *mærorem*, Hæc afflictio in longum producta tempus *triſtitia* appellatur, & *melancbonia*. Si vero odium futurum malum reſpiciat, *timorem* ciet; hic erit *conſternatio Animi*, & *deſperatio*, ſi malum grande concipiatur, & vix aut nihil evitabile.

CAP.

CAP. VI.

De humanæ Mentis Voluntate, ac Libertate.

§. 86. De humana libertate plura ſcripta ſunt, & diſputata a pluribus, quæ rei expeditu facili, & natura ſua in propatulo poſitæ, tenebras potius offudiſſe videantur, quam majorem attuliſſe lucem. Itaque, ut ingenue philoſophantem decet, rem ita expendamus, quaſi nihil adhuc ab aliis traditum ſit.

§. 87. Mentem humanam inſita vi, & naturæ ſuæ neceſſitate bonum appetere, & averſari malum, ſuperius §. 70. expoſuimus. Monemur hinc, nos ita natura comparatos, ut ad *bonum in genere*, ſeu ad beatitatem neceſſario, & indeclinabili pondere feramur, & miſeriam refugiamus, quin valeamus vel minimum obſiſtere. Perſpecte profecto Divus Auguſtinus inquiebat: *Beati eſſe volumus, & miſeri eſſe non ſolum nolumus, ſed nec velle poſſumus*. At quid Animo contingat, quum aliqua boni, malive ſpecie afficitur, operæ prætium eſt ex intimo conſcientiæ ſenſu perdiligenter ediſcere: ipſo enim Magiſtro in devia certe haud abibimus.

§. 88. I. Intimus conſcientiæ ſenſus uberrime edocet, quod ſicuti ex oblata boni, malive ſpecie mox in Animo cietur appetitus, vel averſatio

ſatio in ratione ipſius boni, vel mali repræſentati, ita non rapitur ab illa ſpecie Animus, ſed allicitur, vel tædio afficitur. Non rapi ex eo 1. intelligit, quod cuique appetitui, & averſationi, quouſque durat, efficaciter obſiſtere poſſe, tum premere, & infrænare, evidentiſſime animadvertit: 2. quod Ipſe ſe ad bonum perſequendum ciet, ſi quidem perſequatur, vel ad malum fugiendum. *Sentit Animus* præclare Tullius more ſuo *tuſ. qq.* l. 1. c. 23. *ſe moveri, idque dum ſentit, illud & una ſentit, ſe vi ſua, non aliena moveri.*

II. Animus ex oblata boni ſpecie allectus, erumpentem mox inclinationem quandoque extemplo ſequitur; alias vero immoratur, & appetitum cohibet, ut rationis conſilio adhibito expendat, num bonum ei exhibitum revera bonum ſit, atque amplexandum, an vero malum ſub ſpecie boni, adeoque reſpuendum. Inito tandem conſilio, & de bonitate, vel malitia objecti monitus, ſe ad illud perſequendum, vel avertendum ciet: animadvertit vero 1. ipſum ſe ciere, non rapi; 2. etiam poſtquam perſequi cæpit, facultatem integram deſiſtendi penes ſe retinere, licet revera non deſiſtat; 3. hanc ut experiatur, ſuſceptam determinationem ex parte, vel ex integro quandoque remittit, vel aliam omnino diverſam, contrariamve elicit.

III. Cum plura Menti exhibentur bona, quorum uno tantum potiri liceat, vel plura media ad idem adſequendum bonum, rationis adhibemus conſilium; ſingula undequaque expendimus, & quidem quo efficere poſſumus accura-

ratius, & acutius: media propoſita inter ſe, & cum fine comparamus, ut quæ ſint aptiora perdiſcamus. Hoc demum inſtituto examine, ad id, quod melius videtur, ſe inclinare, ſeu allici Animus perſentit; at inclinari, inquam, non rapi: nam 1. inclinatio illa in actum non prodit, niſi ipſe Animus ſe cieat, determinetque ad id, quod melius viſum eſt amplexandum; 2. quia quovis poſito rationis conſilio, Mens animadvertit, ſe facultatem habere etiam ad minus bonum ſe determinandi; 3. de hac facultate experimentum capere poteſt, quoties libet, ut ſui juris eſſe plene perdiſcat.

§. 89. Ex dictis ſequentia quam evidentiſſime patent. I. Ineſſe Menti activam facultatem, qua ipſa ſe cieat, moveatque ad bonum peculiare perſequendum, ipſa ſe avertat a peculiari malo. Hanc activam Animæ facultatem *Voluntatis* vocabulo deſignamus. II. Activam hanc facultatem, nempe Voluntatem rationis conſilio equidem regi, at ei non ſubeſſe; rationem ſequi ducem & comitem, ipſam vero eſſe ſui Dominam, ipſam ſibi imperare. Eleganter Divus Bernardus, *de grat. & lib. arb.* c. 2. *Eſt ratio data voluntati, ut inſtruat illam, non ut deſtruat; deſtrueret autem ſi neceſſitatem ullam imponeret*. III. Voluntatem, quovis poſito rationis conſilio, ſeu incitamento, ſuam determinationem ſuſpendere poſſe, immo aliam ponere omnino contrariam ei, quam incitamentum, rationiſque conſilium ſuadent.

§. 90. *Libertatis* nomine intelligimus eam activæ potentiæ indolem, qua nulla naturæ ſuæ ne-

neceſſitate, nec ullà externa coactione invincibiliter determinatur ad actionem; ſed ipſa ſe determinat, ut ita, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, queat non agere, vel aliud quodvis a poſitis requiſitis alienum. Quandoque *Libertatis* nomine ipſa activa facultas præfatæ indolis, & naturæ intelligitur.

§. 91. Duplex adeo Libertas diſtingui ſolet juxta duplicem neceſſitatem; cui activa potentia ſubjacere poteſt. Alia dicitur *libertas a neceſſitate*, quæ conſiſtit in immunitate a quavis naturali, & interiori vi rapiente, & determinante ad datam actionem. Altera vero dicitur *libertas a coactione*; & hæc in immunitate a quavis externa vi cogente, conſiſtit.

§. 92. Humanam Voluntatem in ſuis volitionibus, nolitionibuſque liberam omnino eſſe a quavis externa coactione, nihil eſt quod dubitare poſſimus. Siquidem potentia, quæ ad ſuos actus ponendos cogitur, vim patitur. Si adeo hujuſmodi potentia ſui ipſius ſit conſcia, illatam vim, paſſionemque, cui ſubeſt, nequit non animadvertere. Contrarium vero ex intimo conſcientiæ ſenſu cuique de propria ſua Voluntate conſtat. *Sentit* enim *Animus ſe moveri, idque dum ſentit, illud & una ſentit, ſe vi ſua, non aliena moveri* (a). Deinde quæcunque Animus vult, O 2 ſci-

(a) Quiſquis ſtatum Mentis ſentientis cum ejuſdem volentis, vel nolentis ſtatu comparare velit, ut ut minimum

ſciens & lubens vult. Coacta volitio foret volitio non volita, nec lubenter edita, nec ex propria determinatione; quod profecto & implicat, & conſcientiæ teſtimonio contradicit.

§. 93. Sed idem intimus conſcientiæ ſenſus uberrimus teſtis eſt, humanam Voluntatem libertate a neceſſitate gaudere in ſingulis ſuis determinationibus erga quævis peculiaria bona, & in ſuis averſionibus a peculiaribus malis. Nam humana Voluntas ab objecta boni ſpecie allicitur quidem, at non rapitur; 1. quia ipſa ſe ciet, determinatque ad objectum bonum proſequendum; 2. cum ſe determinat, facultatem ad utramque partem determinabilem habere ſentit; 3. ſuam determinationem revocare poſſe, ac ab incepta actione deſiſtere; 4. tum aliam diverſam, vel omnino contrariam edere. §. 88. Quid ultra deſiderari poteſt, quominus de libertate a neceſſitate naturæ ſecuri efficiamur? Si contra conſcientiæ teſtimonium de propria libertate quis ambigere velit, non video eccur pariter de ſui propria exiſtentia non dubitet; utraque ſane veritas æque ex eodem fonte manat, & æque conſtat.

§. 94. Voluntatis actus proprie ſunt *volitio*, & *nolitio*. Quare hac tantum facultate nunquam Animus bonum, quod vult, conſequeretur, & aver-

mum ſibi conſciat, protinus animadvertet immane diſcrimen ſenſationes inter., & volitiones, nolitionesque: illas ut paſſiones ab extrinſeco illatas, has ut actiones ex vi Mentis interna elicitas evidentiſſime deprehendet.

averruncaret malum, quod reſpuit. Inſunt tamen ei aliæ facultates ad illud reapſe capeſſendum, & ad hoc propulſandum aptæ. Hiſce Voluntas veluti imperans, ab eis elicitos actus ad bona capeſſenda, & avertenda mala, ſuos veluti efficit, ſibique vindicat. Quapropter Metaphyſici volitiones, nolitioneſque *elicitos* Voluntatis *actus* appellarunt, revera enim ſunt ejus; cæteros vero Mentis actus ab aliis potentiis fluentes, cum e Voluntatis imperio determinantur, *imperatos* Voluntatis *actus* dixerunt. Ita attentio, analyſis &c. deambulatio, loquutio &c. cum ad Voluntatem referuntur, hujus dicuntur actus imperati, quippe a propriis facultatibus vere eliciti, a Voluntate tamen ſunt imperati.

§ 95. Sed qui intelligi poteſt, quod Voluntas ad bonum in genere naturæ impetu, & neceſſitate inclinata, libera ſit circa peculiaria bona quotquot ei exhibentur? En nodi ſolutionem. Quævis peculiaria bona Menti oblata Voluntatem ideo alliciunt, & ejus appetitum cient, quia quoquo modo ſpectant illam beatitatem, ad quam naturæ impetu fertur. Sunt vero quævis peculiaria bona nonniſi partes infiniteſimæ illius boni, quod beatitatem afferret. Nonniſi ergo infiniteſimam partem excitare poſſunt illius indeclinabilis impetus, quo Mens ad beatitatem rapitur. Quare a peculiaribus quibuslibet bonis finitis allici Voluntas poteſt, ſed non rapi; atque adeo perpetuo libera manet. Accedit eodem, quod quævis peculiaria bona & deficiunt a completa bonitate, & plures mali reſpectus ut plurimum complectuntur. Porro

ro Voluntas ſui domina a primo boni exhibiti incitamento minime determinata, cum ſit cæterarum facultatum directix, atque imperatrix, intellectum flectit, ac determinat ad expendenda, & requirenda mali momenta, quæ in propoſito objecto occurrere poſſunt, & comparanda cum boni momentis : hæc vel illa cernat acutius, hæc vel illa negligat ex ſui lubitu, & arbitratu. Hinc Voluntas a primo incitamento levatur, & magis adhuc libera conſiſtit, ut, quo libuerit, deflectat.

§. *96*. Eſt ergo libertatis a naturæ impetu duplex origo, & fons. I. Bonorum omnium finita vis, & intenſitas, nec non multiformis ſpecies, ſub qua Menti exhiberi poſſunt. II. Intellectus, ſeu Ratio, quæ principio Voluntatem præcedit in exhibendo bono, tum vero illius paret imperio, ut alia, atque alia inquirat in propoſito objecto bonitatis, vel malitiæ momenta : hæc vel illa cernat acutius, hæc vel illa negligat.

§. *97*. Contra humanam libertatem ita arguunt qui omnimodam libertatem (rectius dixeris impunitatem) moribus gerere geſtiunt. Humana Mens a motivis perpetuo determinatur ad volendum quidpiam, vel nolendum : ſine aliquo motivo nihil unquam vult, nihil adveſatur. Sicuti ergo lanx ob impoſita pondera inclinans nihil in ſe inclinando libera eſt, ita neque humana Voluntas, quæ a motivis perpetuo determinatur.

§. *98*. At duo præcipue heic reprehendenda occurrunt I. Mentem a motivis determinari. II.

II. Lancis exemplum. Quod ad primum ſpectat, ſedulo hæc duo toto cælo diverſa ſecernenda ſunt: Mentem *a motivis determinari*; Mentem *ſeipſam ex calculo motivorum determinare*. Primum ſi verum foret, actum eſſet de humana libertate. Atqui illud ita evidenter falſum eſt, quam evidens Animum ſentire ſe vi ſua, non aliena moveri; ſe a motivis allici quidem, ſed non rapi; ſe facultatem integram habere cuilibet appetitui efficaciter obſiſtendi; ſuique juris perpetuo eſſe. Alterum vero utique fatemur. Cum enim Voluntatis objectum ſit bonum, nonniſi quod bonum apparet velle, quodque malum cenſet averſari poteſt. Itaque objectæ boni, maliveſpecies ſunt motiva ex quorum adſpectu, atque calculo Mens ſeipſam ciet, determinatque ad volendum, vel nolendum. Neque enim vero putandum eſt, motiva, quæcunque tandem ea ſint, vere ſufficientem rationem continere, eccur Voluntas flectatur, ac determinetur. Ipſum liberum Arbitrium ſe determinans ſufficicientiæ complementum motivis adjicit, quæ ſuapte natura perpetuo inſufficientia forent, ad liberi Arbitrii aſſenſum extorquendum. Confer quæ diximus *ont.* §. 12. *n.* II.

II. Quod vero ad Lancis exemplum ſpectat, luce clarius meridiana patet, nihil ad rem noſtram quadrare. Sane Lanx nulla activa vi eſt intrinſecus prædita; ab impoſitis tantum ponderibus determinatur, & quidem efficaciter. Certe Lanx, ſi vel minimum ſibi conſcire poſſet, extemplo animadverteret, ſe non vi ſua, ſed externa, & aliena inclinare; ſe inclinationem nul-

latenus præpedire poſſe, nec morari, neque vel tantillum in contrariam partem vertere. Hiſce omnino contraria de nobis patent vivido conſcientiæ ſenſu. Confer *coſm.* §. 82.

CAP. VII.

De Mentis humanæ Natura.

§. 99. Mentis humanæ facultatibus expenſis, par eſt ipſius modo naturam inquiramus; id quod maximi præſertim momenti in tota pſycologia occurrit. Inquiremus igitur utrum Principium illud in homine, quod vulgo Animæ humanæ venit, ſit quædam corporis, ac præcipue cerebri temperatio, ac phyſis, quod Dicæarcho ex Veteribus (a) placuit, & ex Recentioribus la-Metrie, Hobbeſio, & Helvetio, qui licet verbis diſcrepent, ſimilem tamen ſententiam colunt. Tum expendemus utrum cogitatio ſubſtantiæ corporeæ queat convenire ſaltem divina virtute; id quod Lockio viſum eſt. Tandem ejus naturam definiemus. Hæc autem ut ordine expediamus, paucas quaſdam animadverſiones in antecesſum exponemus.

ART.

(a) Dicæarchus Ariſtotelis quondam Diſcipulus primus putaſſe videtur, *vim omnem eam*, (verba ſunt Tullii qq. tuſc. l. 1. c. 10.) *qua vel agamus quid, vel ſentiamus, in omnibus corporibus vivis æqualiter eſſe fuſam, nec ſeparabilem a corpore, quippe quæ nulla ſit, nec ſit quidpiam niſi corpus unum, & ſimplex ita figuratum, ut temperatione naturæ vigeat, & ſentiat.*

Animadverſiones ad inveſtigandam Animæ humanæ naturam præliminares.

§. 100. *Animadverſio* I. Si humana Mens temperatio ſit cerebri, totiuſve humani corporis, nequeunt ejus perceptiones, notioneſque aliud eſſe, niſi totidem motiones. Revera, quot quot vires in Materia novimus ad vim motricem ſingulæ tandem referuntur: neque temperatio cujuſque materialis naturæ quidpiam eſt aliud, niſi ipſa vis motrix materiei, quæ peculiares capit determinationes, ac modificationes ex determinata ſuimet diſpoſitione, atque organizatione. Certe ſi materiam in ſtatu abſolutæ, & perfectæ quietis concipiamus, eam in ſtatu abſolutæ inactionis manere una ſimul concipere cogimur. Itaque, ſi humana Mens pro totius humani corporis, ac præcipue cerebri temperatione haberi velit, nequeunt ejus perceptiones, notioneſque aliud eſſe, quam totidem motiones.

§. 101. *Animad.* II. In prædicta hypotheſi multiplices, diverſæque ideæ, ac notiones, æque multiplices, diverſaſque motiones exigunt in ſubſtantia cogitante. Cum enim quævis motio res ſit ſingularis, atque undique determinata & ratione celeritatis, & directionis, & intenſitatis; ſingulæ hujuſmodi motiones nequeunt niſi ſingulas perceptiones, notioneſque exprimere, & exhibere, & nulla motio plures. Ex. gr. Qui tonos a nervo redditos in ejus tremoribus conſtituit, nequit multiplicium, ac diſſimilium to-

norum rationem aliter expedire, niſi per totidem diverſos, ac diſſimiles ejuſdemque nervi tremores. Si ab uno eodemque tremore plures, ac diſſimiles tonos effici contenderet, inſcite profecto ſe gereret, nec ſeipſum intelligeret: quippe in illa hypotheſi neceſſe eſt, unum eumdemque tremorem unum eumdemque tonum perpetuo reddere. Ita profecto in hypotheſi, qua Mens humana pro materialis ſubſtantiæ temperatione ſtatuitur: cum ideæ & notiones aliud nequeant eſſe niſi motiones, tot diſtinctas motiones, atque diverſas ſubſtantia cogitans ſuſcipiat neceſſe eſt, quot diverſas, ac multiplices habet ideas, notioneſque.

§. 102. *Animad.* III. In quavis hypotheſi de Animæ humanæ natura nequit hæc ullum efficere judicium, niſi duæ ſaltem ideæ, notioneſve, una ſimul, ſe coram adſtent. Sane judicium eſt perceptio convenientiæ, vel repugnantiæ, vel alterius cujuſvis relationis inter duas ſaltem ideas. Supponamus binas ideas A puta, & B ſeorſim, ac ſucceſſive Menti exhiberi, ut quo tempore coram adſtat idea A, procul abſit idea B: cui Mens modo comparabit ideam A? quam in ea deprehendere poterit relationem ad aliam ideam, cum nullam aliam habeat coram? Abeat idea A, & Menti occurrat idea B; neque ob eamdem rationem ulla modo fieri poterit comparatio, nec ulla relatio innoteſcere. Nequit igitur Mens ullum judicium efficere, niſi duæ ſaltem ideæ, notioneſque, una ſimul, coram habeat.

§. 103. Neque juvat reponere, Mentem ideam B,

B, quæ coram adſtat, poſſe cum idea A, cujus reminiſcentiam habet, conferre. Quid enim eſt iſtud ideæ alicujus reminiſcentiam habere, niſi illam ideam habere præſentem? Habebit igitur Mens ſimul præſentes ambas ideas A & B. Datur ergo quod a nobis poſitum eſt.

A R T. II.

Humanam Mentem haud eſſe temperationem humani corporis, ac præcipue cerebri, invicte demonſtratur.

§. 104. I. CUm externa Objecta noſtri corporis ſenſus percellunt, fibrarumque irritationes ad cerebrum uſque deducuntur, mox Anima ſenſationes ſuſcipit. Sed hæ ſenſationes phænomena ſunt, quæ nihil commune habent cum fibrarum cerebri, & ſenſuum commotionibus, a quibus toto cælo differunt §§. 12. 13. Nequeunt ergo eſſe ipſæ commotiones: atque adeo nec Subjectum cogitationum eſt cerebrum, nec Principium cogitans ſeu Mens eſt cerebri, humanique corporis temperatio.

§. 105. II. Ex intimo conſcientiæ ſenſu evidentiſſime docemur, Subjectum ſenſationum, quas ſive per unum idemque organon, ſive per plura excipimus, unum idemque eſſe, & phyſice ſimplex. Equidem ille *Ego*, qui roſæ purpureum contemplor colorem, illemet *Ego* ſum, qui foliorum ſitum, magnitudinem, figuram &c. intueor; illemet *Ego*, qui gratum ejuſdem odorem per nares experior, illemet *Ego* qui digitis

cau-

caudicis duritiem, foliorumque flexibilitatem; ac tenuitatem contrecto &c. Et quoniam multiplices, diverſæque perceptiones in totidem conſiſtere debent diſtinctis motionibus §. 100., una eademque cerebri fibra tot diſtinctas ac multiplices motiones una ſimul habeat neceſſe eſt, quot mihi cogitanti ſunt perceptiones. Id vero eſt, quod evidentiſſimis pugnat phyſicæ notionibus, quibus in comperto eſt, non poſſe in uno eodemque corpore una ſimul recipi plures & diſtinctas motiones, quin ſimul miſceantur, collidantur, in aliam omnino diverſam, & ſingularem motionem abeant. Igitur ille *Ego*, qui mearum ſenſationum eſt ſubjectum, nequit eſſe cerebrum, vel quævis ejuſdem fibra, nec cogitandi vis ejus temperatio.

§. 106. Nec eſt, quod quis regerat, quamlibet minimam cerebri fibram ex aliis minoribus conflari, atque has ex pluribus elementis adhuc coagmentari; atque adeo diſtinctas motiones, quæ plures diverſas ideas referant, recipi poſſe in totidem diſtinctis fibrillis, queis una eademque fibra conflatur, vel in totidem fibrillarum elementis. Nihil, inquam, hinc proficere poſſunt Materialiſtæ: nam in hac hypotheſi tot eſſent diſtincta ſubjecta cogitantia, ſed tot diſtincti *Ego*, quot ſunt fibrillæ, in quibus diſtinctæ illæ motiones ſeorſim recipiuntur; & quilibet *Ego* inſcius foret cogitationis alterius. Atqui id unitati, & ſimplicitati Subjecti cogitantis, ſeu τῶ *Ego*, quæ per intimum conſcientiæ ſenſum patet, omnino repugnat. Commentitia igitur eſt illa aſſumptio, nec quidquam ad rem noſtram quadrat.

§. 107.

§.107.III. Actus judicandi nequit e temperatione cerebri proficiſci. Sane in quolibet judicio duæ ſaltem ſunt ideæ, quæ conferuntur; tum ex harum collatione tertia emergit idea, quæ relationem inter binas illas intercedentem exprimit. §. 102. In hypotheſi, qua Principium cogitans ſit cerebri temperatio, ſingulæ ideæ ſingulas motiones diſtinctas requirunt §. 101. Itaque in hac eadem hypotheſi judicium abſolvi nequit, niſi duarum motionum ope, A puta & B, quæ duas comparandas ideas ſigillatim exprimunt, & ex quarum collatione tertia exurgat motio Q, notionem relationis inter duas illas ideas intercedentis, notans. Porro binæ motiones A & B ſunt una ſimul in eadem cerebri parte, vel in duabus diſtinctis partibus?

Si primum (id quod natura judicii poſtulat §. 102.): Binæ illæ motiones miſcebuntur, collidentur, in tertiam omnino diverſam abibunt juxta notiſſimas motus phyſicas leges. Quare, quin ullum abſolvatur judicium, binæ ideæ, quæ per motiones A & B notandæ veniebant, extemplo evaneſcent, ſicuti ipſæ motiones, & nulla, vel tertia omnino diverſa idea præſto aderit. Atqui intimo conſcientiæ ſenſu nemo non novit, ſe judicare, completoque judicio incolumes retinere ideas, de quibus judicavit. Prædictæ igitur motiones A & B nequeunt in una eademque cerebri parte locari.

Si motiones A & B in duas cerebri partes ſeorſim locare velimus, 1. intimo conſcientiæ ſenſui occurrimus, quo cuique conſtat, quod illemet *Ego*, qui intelligit ideam per motio-

nem A exhibitam, illemet *Ego* pariter intelligit alteram ideam per motionem B expreſſam: cum e contrario in poſita hypotheſi duo forent *Ego* cogitantes: 2. In eadem hypotheſi utraque pars nonniſi propriam motionem (ſeu ideam ſibi exhibitam) intelligit, alterius motionem omnino ignorat, nec ullo pacto intelligere poteſt. Neutra igitur pars judicium abſolvere poterit. Itaque Principium judicans in homine haud eſſe poteſt materialis quævis temperatio cerebri.

§. 108. Stulte vero huic demonſtrationi quis regereret, motiones A, & B in diſtinctis quidem eſſe cerebri partibus, ſed has in tertiam aliam partem incurrentes in hac ſuas miſcere motiones, & in eadem judicium fieri. Nam 1., ut monemur intimo conſcientiæ ſenſu, unus idemque eſt ille *Ego*, qui ſingulas rimatur ideas, & qui de iiſdem judicat; in objecta autem hypotheſi tria forent ſubjecta cogitantia, ſeu tres *Ego*. 2. In eadem hypotheſi conſiſteret judicium ex idearum deletione, quod & abſurdum eſt, & interiori experientiæ repugnat: partes enim motiones A & B habentes, in tertiam incurrentes partem, eaſdem motiones integras & incolumes haud retinere poſſunt, ut ex phyſicæ legibus cuique patet; atque adeo deleri poſthac debent ideæ per illas motiones exhibitæ. Deinde ex duarum motionum in unam compoſitione, ſit motio e duabus componentibus diverſa, & quæ natura ſua adeo ſimplex eſt, & determinata, ſicuti ſingulæ componentes. Itaque neque judicium, nempe complexam plurium idearum no-

notionem, compoſita iſthæc motio poterit exhibere.

§. 109. Quæ cum ita ſint, Nemo non intelligit, ratiocinationem, intimum conſcientiæ ſenſum, cæteroſque complicatiores cogitandi actus potiori ratione pugnare hypotheſi, quæ ſtatuit cogitationis vim, & Principium in materiali quadam humani corporis, cerebrive temperatione. Hypotheſis ergo iſthæc falſa eſt, & procul ableganda a philoſophia.

§. 110. Sunt qui exemplum e motu indicis horologii deſumunt, quo expediant, Animi cogitationes theoriæ motus convenire. Inquiunt: ſicuti ex compoſitione, & modificatione motuum plurium rotarum fit in indice motus, qui continet horarum indicationem, ita ex motionibus plurium fibrarum cerebri emergere poteſt in alia fibra peculiaris quædam motio, quæ plures referat ideas, earumque relationes.

§. 111. At quam inſcite ejuſmodi exemplum afferatur, patet I. quod iſtud ipſam Materialiſtarum evertat ſententiam. Sane motus indicis haud refert motiones rotularum, e quibus pendet; ſed ſua natura, & intrinſecus idem eſt ſive ab unica, ſive a tribus, ſive pluribus ſimul compoſitis rotulis gignatur. Cum itaque judicium complexa ſit perceptio duas ſaltem referens ideas, & mutuam inter has relationem, nunquam hujuſmodi complexa perceptio per motionem e pluribus ſe invicem modificantibus, & collidentibus compoſitam exprimi poteſt. II. Indicatio horarum eſt indici prorſus extranea: Nobis comparantibus indicis poſitionem ad va-

ria

ria puncta plani, per quod ſucceſſive incedit, horæ patent, non ipſi indici. Etiam facta hypotheſi, quod ideæ nihil ſecernantur a motionibus, index nonniſi invariatam quamdam, & ſimplicem ideam ſuo motui reſpondentem habere poſſet, & nullam aliam; quippe ejus poſitio ad varia puncta eſt eidem prorſus extranea, neque hæc quidpiam in eum influunt: neque propterea de iis quidpiam index conſcire poſſet. Quod ſi altera rurſus fiat hypothesis, positiones illas aliquam mutationem poſſe ſingulas indici adferre, neque modo index horarum ſignationem conſciret: hæ enim mutationes cum ejus motu intime commiſcerentur, & fieret ipſius ſtatus internus omnino unus, & ſimplex, qui haud referre poſſet tot ſimul diſtinctas ideas, earumque relationes, quot ſimul diſtincte repræſentari debent, ut illa complexa habeatur perceptio, quæ horarum ſignatio dicitur. Plura alia, quæ heic itidem reprehendenda occurrunt, brevitatis gratia omittimus.

A R T. III.

Cuivis Subſtantiæ corporeæ intrinſecus pugnare cogitationem, quæ humanæ Mentis eſt propria, demonſtratur, & Lockii ſententia perſtringitur.

§. 112. I. Quævis ſubſtantia, quæ dicitur corporea non eſt unica, & ſimplex ſubſtantia; ſed tot ſubſtantiarum, ſeu realium ſubjectorum collectio, quot ſunt in ea par-

partes realiter diſtinctæ: vel ut minima conci-
pi ea velit, tot equidem in ea notanda occurrunt diſtincta ſubjecta, quot in ejus extenſione internoſci poſſunt diſtincta puncta. Confer *ont.* §. *62.* & *coſ.* §. *16.* Si itaque ſubſtantiæ corporeæ convenire poſſe cogitationem ponamus, hujuſce cogitationis ſubjectum erit multiplex. Quid vero eſt iſtud? Nempe vel una, eademque perceptio æque inſidebit ſingulis ſubjectis, ſeu ſubſtantiis, nempe partibus illam corpoream ſubſtantiam conſtituentibus, vel ſingulæ hæ partes ſingulas totidem partes capient illius unicæ perceptionis. Si primum, totidem erunt diſtincta ſubjecta cogitantia, quot ſunt partes illius ut ut minimæ ſubſtantiæ corporeæ. Si alterum, nec unum quidem illorum ſubjectorum ullam habebit perceptionem integram, nec adeo gaudebit integra ullius rei repræſentatione. Atqui utrumque de interno noſtrarum cogitationum ſubjecto vehementer pugnat: Ille enim *Ego*, qui in me cogitat, unicus eſt, individuus, ſimplex: nec non unicus, individuus, ſimplex eſt ejus de quaque re conceptus. Subſtantiæ itaque corporeæ intrinſecus pugnat cogitatio, cujuſmodi eſt in humana Mente (*a*).

P §. 113.

(*a*) Operæ prætium est, Petrum Bayſium, non ſuſpectum Auctorem adverſariis, quibuſcum agimus, audire: *Sint in globo depictæ quatuor Mundi partes. Nulla in hoc globo pars eſt, quæ totam complectatur Aſiam, quin immo nec fluvium. Pars, quæ Perſiam comprehendit, alia omnino eſt a parte, quæ Regnum Siam complectitur; nec non*

§. 113. II. Multo minus ſubſtantiæ corporeæ (quæ plurium ſubjectorum, ſeu ſubſtantiarum eſt aggregatum) convenire poteſt illa perceptionum ſpecies, quæ dicuntur complexæ, cujuſmodi ex. gr. ſunt illæ, quas judicia, & ratiocinia appellamus. Sint A, B, C tria ſubjecta, ſeu ſubſtantiæ (nimirum diſtinctæ partes), quæ corpoream ſubſtantiam, de qua ſermo eſt, conſtituant. Modo vel ſingulæ hæ partes ſingulas habent ideas, ſeu perceptiones ſimplices, quæ ad judicium, & ratiocinium efformandum requiruntur: vel ſingulæ omnes ſimul; vel ſingulæ totidem omnium partes.

I. Prima hypotheſis naturæ judicii repugnat. Sane in quanam illarum partium A, B, C collatio fiet idearum, ut earum queat relatio innoteſcere, & judicium fieri? Non equidem in A: iſta quippe pars inſcia eſt idearum, ſeu perceptionum, quæ in aliis inſunt partibus B, & C. Et ob eamdem rationem nec B, nec C præ-

non diſtinguimus dexteram a ſiniſtra parte illius parvæ portionis, quæ Eufratem repræſentat. Supponamus modo, globum iſtum facultate pollere cognoſcendi figuras in ipſo depictas: nulla profecto in toto globo pars erit, quæ dicere poſſet, totam cognoſco Europam, totam Galliam, totum Eufratem; quælibet enim globi pars nonniſi figuræ partem, quam gerit, cognoſcere poteſt. Atque adeo minutiſſima, & individua ſuperficiei globi elementa totidem depictarum figurarum elementa ſeorſim cognoſcerent, nulla totam aliquam figuram. Contrarium porro intimo ſenſu nos experimur. Subſtantia ergo illa, quæ in homine cogitat, ſibique unitate cogitationis vere ſimplici, & plura & integra ſibi repræſentat objecta, ex pluribus haud coaleſcit. Dict. Crit. Art. *Leucippe* Rem. E.

prædictam comparationem inſtituere poſſunt.

II. Altera hypotheſis ſenſui intimo contradicit: in hac enim ſingulæ partes A, B, C totidem eſſent diſtincta ſubjecta judicantia: & ille *Ego* judicans, ratiocinans in quolibet noſtrum, haud foret unus & ſimplex, ſed adeo multiplex, quot ſunt illæ partes A, B, C.

III. Tertia tandem hypotheſis evertit & judicii naturam (num. I.), & intimum ſenſum (n. II.) nec non ſimplicitatem, & indiviſibilitatem perceptionum (§. 112.).

§. 114. Regeri haud poteſt, quo ſarta tecta fiat prior hypotheſis, illas partes A, B, C commiſceri, vel in unam coire, atque hinc judicium emergere. Non enim, niſi ſumma oſcitantia, effutiri iſta queunt. Quid ſane iſtud eſt *commiſceri?* profecto particularum ſitus, poſitiones, & tactus ad invicem immutari, & perturbari. At non video, qui hinc fiat idearum particulis illis ſeorſim inſitarum collatio, & complexa omnium perceptio; adhuc enim ſunt illæ particulæ totidem diſtincta ſubjecta, & ſeorſim exiſtentia. Illud vero alterum *in unum coire* pugnat cum naturali partium impenetrabilitate.

§. 115. Neque quidquam valet, quod incogitanter alii reponunt, cogitationem non partibus corporeæ ſubſtantiæ convenire, ſed toti ſubſtantiæ: non humani cerebri partibus, ſed cerebro, quod veluti *unum totum* conſiderandum venit. Revera, quod *totius* nomine deſignatur non eſt aliud, niſi Mentis noſtræ conceptus, plura ſimul ſub communi aliquo ſigno, & notione, complectentis: atque adeo, quod dicitur

unum totum eſt quid tantum ideale, non reale. Quod reapſe notioni *totius* reſpondet, eſt collectio plurium, quæ propriam ſingula, & ſeparatam habent exiſtentiam, quæque proinde æque ſe habent, ſive collective, ſive ſeorſim exiſtant. Ita ex. gr. cum inquam, totus exercitus, totus populus &c., reapſe hiſce notionibus plurium, & diſtinctorum ſubjectorum collectio reſpondet, quæ, licet collecta, adeo ſunt diſtincta inter ſe, ac ſi forent ſejuncta. Si propterea ſubjectum cogitationis eſt ſubſtantia corporea, plurium nempe realium ſubjectorum collectio, jure, meritoque inferenda veniunt abſurda ſuperius notata.

§. 116. III. Quævis materialis ſubſtantia natura ſua eſt iners: modus autem agendi & cogitandi, qui humanæ Mentis eſt proprius, inertiæ omnino pugnat. I. Nonne Mens vi ſua, & ſua libera ſponte innumeros in corpore gignit motus, aliosque a cauſſa externa ipſi corpori impreſſos, vel ex mechaniſmo pendentes cohibet, ac deſtruit? Atqui *quid eſt hoc, quod obluctatur corpori, ſi nihil ſumus præter corpus? cum fluvius decurrit in hanc partem, non poteſt ſua vi aquas ſiſtere, aut retro flectere in contrariam partem. Materia nulla agit in ſe ipſam; nulla machina eſt ſuorum motuum conſcia, & ex illa conſcientia ſuorum errorum correctrix, & reformatrix. Si errat, neſcia pergit errare, donec admota manu Artificis, aut Domini in ſtatum rectum ordinatur, & reſtituitur.* Thom. Burnet (*a*).

II.

(a) *De stat. mort. & reſurr. c. 3.*

II. Nonne *Animus ſentit ſe moveri, idque dum ſentit, illud & una ſentit, ſe vi ſua non aliena moveri?* Vividus hic conſcientiæ ſenſus, cui contradicere nemo, niſi effrænati Pyrronii poſſunt, luculentiſſime oſtendit, humanam Mentem haud eſſe poſſe e genere ſubſtantiarum materialium. Ipſe Rouſſojus eo ſenſu monitus, hanc veritatem fateri, coactus eſt. *Natura cuique animali imperat, & Brutum obtemperat: Homo eamdem ſentit impreſſionem; at vero ſe liberum agnoſcit ad aſſentiendum, aut contra obnitendum; & in intimo ſenſu bujuſce libertatis Animæ ſpiritualitas præſertim eluceſcit . . . . . In facultate volendi, vel potius eligendi, & in hujus facultatis ſenſu nihil eſt, quod explicari queat mechanicarum legum ope* (*a*).

§. 117. Lockius, etſi non e grege Materialiſtarum, ſententiam tamen coluit, qua non immerito viſus eſt pluribus, Materialiſtarum cauſſam indirecte egiſſe. Haud nempe conſtare pronunciavit, num Deus vi cogitandi materiam (ſubſtantiam ex mente ſua extenſam, multiplicem, inertem) inſtruere poſſit, ſicuti vi vegetandi ornaſſe in comperto eſt. Certe id opinans, aliquid humani paſſus eſt, nec ſibi compar extitit: animadvertere enim facile potuiſſet, Animæ humanæ immaterialitatem (ſimplicitatem) ſimili argumento conſtabiliri, quo ipſe, Dei naturam immaterialem evicit (*b*).

§. 118. Porro Lockianæ ſententiæ falſitas ex

 ha-

(a) *Discours sur l'inegalitè des hommes I. part. p.* 19.
(*b*) *Eſſai philoſ. conc. l'entend. hum. l.* 4. *ch.* 10. §. 16.

hactenus dictis luculentiſſime patet. Revera, cui non conſtat, Deum non poſſe, quæ ſunt intrinſecus impoſſibilia efficere? *ont.* §§. 38. 39. Jam vero cogitandi, & agendi modus, qui humanæ Mentis eſt proprius, nequit ullo pacto conſiſtere cum extenſione, ſoliditate, & inertia, quæ ſunt eſſentialia attributa ſubſtantiarum corporearum. §§. *præc.* Subſtantia cogitans, ſe perciens, libera, activa, cujuſmodi humana Mens eſt, tum extenſa, ſolida (multiplex), iners, eſt e genere circulorum quadratorum; ſcilicet eſt intrinſecus impoſſibilis, & non-ens. Jure ergo dicimus, ſubſtantiam corpoream nec divinitus fieri poſſe cogitationis capacem. (*a*).

§. 119. Sed urget Lockius. Ignoramus materiæ eſſentiam, neque ſingulas ejus proprietates hactenus perſpeximus: qui ergo audebimus contradictionem decernere cogitationem inter, & materiam? quin immo, qui audebimus decernere cogitandi facultate materiam carere? Num ne corpora licet extenſa ſimplicibus gaudent affectionibus, ex. gr. vi motrice, celeritate?

§. 120. Inſcite nimis iſthæc objiciuntur. Fa-

te.

(*a*) Nonniſi ergo inſcitiam ſuam prodit Homo ille, qui (*lettre philoſ.*) inanibus verbis effutit: *Quis ille eſt, qui ſine temeraria impietate affirmare audeat, impoſſibile eſſe, ut Creator ſupremus materiæ* (ſubſtantiæ nimirum extenſæ, inerti &c.) *cogitationem, & ſenſum tribuat? Vide quæſo, in quem labyrinthum te conjicias, cum hac ratione infinitam Creatoris potentiam limitibus conſtringas.* Nempe, quæ ſunt contradictoria ſunt non-Entia: qui contradictoria Divinæ potentiæ detrahit, nihil detrahit. *Vid. ont.* §. 39.

temur intimiorem materiæ eſſentiam nos adhuc latere, neque ſingulas ejus proprietates in numerato habere. Atqui ſufficit agnoviſſe, corpora extenſione, ſoliditate, & inertia gaudere tanquam individuis proprietatibus: tum hiſce proprietatibus pugnare cogitandi, & libere agendi facultatem, quæ propria eſt humanarum Mentium, ut inde tuto inferamus Mentes humanas e genere ſubſtantiarum materialium haud eſſe poſſe. Sane cui non conſtat, non poſſe unum idemque Ens incompoſſibilibus coaleſcere? Quo decernam, quadrato circularem rotunditatem repugnare, num ne requiritur ſingulas quadrati, & circuli proprietates in numerato habeam? Minime profecto; ſufficit enim agnoviſſe quadrati diametros eſſe inæquales, contra vero æquales diametros circuli. Ita in re noſtra, ſufficit agnoviſſe, cogitationem, ſimplicitatem in Ente cogitante, requirere; e contrario extenſionem, e pluribus coagmentationem: agendi facultatem ſua ſponte, ſua propria electione, & quidem libera (quæ humanæ Mentis eſt propria) inertiæ (quæ materialium ſubſtantiarum eſt propria) e diametro pugnare.

§. 121. Neque quidquam ad rem facit, quod ex vi motrice reponunt. Vis enim motrix, qua corpora gaudent, ex ſumma conflatur virium, quæ ſingulis ſimplicibus elementis, e quibus ipſa coagmentantur corpora, inſunt. Vis ergo motrix corporum quantitas eſt diſpertita per ſingula elementa, ut ita ſi materia ſibi conſciret, ſingula elementa totidem eſſent diſtincta ſubjecta ſuam propriam vim, & motum conſcien-

tia. Atqui non ita ſe res habet de cogitatione cujuſvis compoſitionis neſcia, & cujus ſubjectum omnino ſimplex ſit oporteт §. 112.

A R T. IV.

Humanæ Mentis natura definitur.

§. 122. Ex iis, quæ hactenus proſequuti ſumus, difficile non eſt, Mentis humanæ naturam & genus definire. Cum enim cogitationes, ac volitiones Hominis nequeant eſſe e temperatione corporis (*art.* 2.): Rurſus, cum neque cogitandi, ac libere agendi vis, quæ hominis eſt propria, ſubſtantiæ extenſæ, multiplici, inerti, cujuſmodi ſunt quot quot ad ſenſibilem Mundum ſpectant, convenire poſſit (*art.* 3.): Agnoſcere hinc cogimur ſubjectum noſtrarum cogitationum, & volitionum eſſe debere vere, & phyſice ſimplex, ac alius prorſus generis, quam ſunt Entia quævis ſenſibilia.

§. 123. Neque ſuſpicari poſſumus, humanarum cogitationum, ac volitionum ſubjectum e genere eſſe elementorum corporum, quæ ex noſtra ſententia (Materialiſtis tamen non accepta), ſunt & ipſa phyſice ſimplicia, *coſ.* §§. 16., *& ſeq.* Nam I. corporum elementa ſola gaudere vi motrice ſtatuimus, quemadmodum ſingula phænomena edocent: cogitandi autem vis omnino alia eſt a vi motrice, neque ut ejus temperatio quævis interpretari poteſt. II. Corporum elementa ſunt natura ſua inertia: inertiæ autem pugnat illa cogitandi, & libere agendi facultas, qua ſua natura

ra Mens humana gaudet : id quod evincit quoque, neque ex divina virtute corporum elementa ea facultate cumulari poſſe.

§. 124. Humana itaque Mens, cum nequeat eſſe e genere corporum, neque ex genere elementorum, neque e genere naturarum, quæ ex hiſce conflantur : ſit autem ſubſtantia phyſice ſimplex, tum cogitandi vi, libere volendi, & agendi facultate prædita, non niſi diverſo plane vocabulo ab hiſce uſitatis naturis deſignari poteſt, & uti moris eſt, *Spiritus*, vel *ſpiritualis Subſtantia* nuncupari.

§. 125. Opponunt Epicurei : I. Anima in corpus agit, & viciſſim corpus in Animam. Similis ergo eſt utriuſque ſubſtantiæ natura: qui enim ſubſtantia extenſa in ſimplicem, & viciſſim, agere poſſet ? II. Animi ſtatus determinatur a ſtatu corporis : ægra quippe eſt Mens, triſtis, læta, delira &c. juxta diverſos corporis ſtatus ; & e contrario, pluries corporis ſtatus ex Animi ideis & modificationibus pendet.

§. 126. Reſpondemus : I. *Qui ſubſtantia extenſa in ſimplicem agit?* (*a*) Noruntne melius Ad-

(*a*) Juxta opinionem quam in ontologia §.61. ſequuti ſumus, quævis ſubſtantia natura ſua ſimplex eſt, ipſa corporum elementa vere ſimplicia ſunt §.16. *& ſeq. coſm.* Quare in hac ſententia huc redit difficultas ; qui plures ſubſtantiæ confertim (ſcilicet Corpus) in unicam ſubſtantiam (ſcilicet Mentem) agunt? In noſtra ergo de ſimplicitate elementorum ſententia evaneſcit omnino illa apparens contradictio, quæ primo occurrit, cum invicem conferuntur extenſio, quæ corporis eſt proprietas (nempe phænomenon pendens ex plurium coëxiſtentia), & ſimplicitas, quæ eſt Mentis.

Adverſarii, quî corpora invicem inter ſe agant, puta, quî magnes trahat ferrum ? Corpus equidem in corpus agit, neque tamen de hoc phænomeno adeo ſenſibus obvio, tot tantiſque experimentis, & obſervationibus undique expenſo, probabilem, immo veroſimilem explicationem protulere. Quid ergo mirum, ſi æque ignorare nos fatemur, quomodo Mens (ſubſtantia ſimplex) in corpus, & corpus viciſſim in Mentem agat ? Itaque inſcite nimis Epicurei ex hac noſtra ignorantia contendunt unam, eamdemque naturam utrique ſubſtantiæ tribuendam. Simplicitas certe humanæ Mentis apodictice eſt demonſtrata. Evidentibus ne demonſtrationibus valedicemus, & in innumeras nos conjiciemus contradictiones; quia phænomenon, cui explicando pares non ſumus, occurrit, actio ſcilicet Mentis in corpus, & corporis in Mentem ? (a) *Numquid ideo negandum eſt* (ſapienter Divus Auguſtinus) *quod aperte eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt ? Numquid inquam dicturi ſumus, quod ita eſſe percipimus, non ita eſſe; quoniam, cur ita ſit, non poſſumus in-*

(a) Mens ſenſuum conſuetudine abrepta nihil ſollicita eſt rationem inveſtigate reciprocæ corporum inter ſe actionis; ſeque intelligere putat, quod profecto non intelligit. Deinde reciprocæ actionis notio, quam ſenſuum miniſterio nobis comparavimus, perpetuo ſtipata occurrit cum idea ſimilitudinis naturæ, ſeu generis Entium inter ſe agentium. Iſta idearum adſociatione illuſis, reciproca Entium diverſi generis inter ſe actio, extra communes ideas vagari videtur; atqui nonniſi ſumma inſcitia, & temeritate inter impoſſibilia rejici poteſt.

invenire (*a*) ? Sed de hac re uberius infra edifferam .

II. Harmonia, quam inter Animi, corporiſque determinationes, & ſtatus perpetuo experimur, non ex naturæ ſimilitudine, ſed ex quadam reciproca utriuſque ſubſtantiæ communicatione pendet. Sane cum Homo ſit Ens mixtum, ſeu individuum ex Mente & corpore conſtans, ejus Auctor Deus utriuſque ſubſtantiæ naturas cudit, ac temperavit ejuſmodi, ut mutuum inter eas intercederet commercium, alias biceps monſtrum effeciſſet. Commercium iſtud, ſeu mutua iſtæc animæ, corporisque temperatio in eo conſiſtit, ut nequeat Mens, quouſque in corpore degit, inſitarum ſibi facultatum actiones edere, niſi concomitantibus quibuſdam fibrarum cerebri motionibus; & e converſo, nihil queat in corpore effici, niſi affines in Anima reſpondeant affectiones. Hinc fit, ut Anima ſtatum aſſumat corporis ſtatui affinem; & e converſo, corporis ſtatus ab illo Mentis modificetur. Quo Adverſariorum oppoſitionibus aliqua poſſet vis conſiſtere, oſtendendum ipſis foret, impoſſibile eſſe, ſubſtantias diverſi generis, & naturæ in ſe invicem agere, & quidem evidentibus rationibus, non inſulſa, & ridicula captione: id haud concipi poteſt, ergo eſt impoſſibile.

CA-

(a) *De don. perſev. n.* 37.

CAP. VIII.

De Commercio Animam inter & Corpus

§. 127. SI attentionem ad ea, quæ in nobis perpetuo geruntur convertamus, deprehendemus I. Quoties ſenſuum organa rite ſunt conſtituta, & actione externorum objectorum pulſantur, toties Menti etiam nolenti præſto occurrunt eorumdem notiones, & quidem vividæ, vel confuſæ in ratione irritationum in ipſis ſenſuum organis factarum, & ad cerebrum uſque productarum II. Etiam Corporis affectiones in Animam redundare videntur; Mens nempe ſtatum adſumit corporis ſtatui affinem: ita ex. gr. læta eſt, & viribus erecta, ſi corporis temperatio vegetior ſit, & valeat; triſtis e contrario, & veluti dejecta, corporis temperatione lenteſcente, torpentibuſque viribus; habilis & expedita in ſuis obeundis operationibus, vel e contrario tarda, ac incerta, juxta æquilibratam, vel turbatam ſui corporis conſtitutionem.

III. Viciſſim. Ex Mentis arbitrio extemplo corporis membra motiones ſubeunt, quæ mechanicæ eorum ſtructuræ ſunt conformes, & in his tamdiu durant, quamdiu Menti libuerit.

IV. Nec non Animi ideæ, & affectiones plurimum modificant corpus, ut adeo in corpus ipſum manare videantur. Sic animo ira concitato rubent oculi, faciei & totius corporis muſculi tenduntur. Invidus alterius macreſcit rebus opimis: &c.

§. 128.

§. 128. Hæc phænomena ne dum miram intercedere harmoniam oſtendunt Animam inter & corpus; ſed & mutuam dependentiam ſtatuere videntur, nec non arctiſſimum vinculum, quo invicem inter ſe conſociantur. Equidem vinculum iſtud, quodcumque tandem ſit, ſicuti præter noſtri arbitrium ſemel conſtitutum eſt, ita præter noſtri imperium, quoad vivimus, pergit, ac tandem diſſolvitur. Iſthæc harmonia, qua Animi affectiones, notioneſque apprime reſpondent temperationi, ac motionibus corporis ab externa cauſſa illatis; & qua viciſſim corporis motiones atque ſtatus, ideas, affectioneſque Animi, ſequuntur, *commercii* nomine venit.

§. 129. Perdifficilis heic occurrit inquiſitio: qui Commercium iſtud Mentis & corporis abſolvitur? Difficultas maxima in eo primum conſiſtere videtur, quod Mens & corpus ſint naturæ toto cælo diverſæ; deinde, quæ ſunt corporis, & fibrarum cerebri motiones, excitant in Anima perceptiones, notionesque; & viciſſim, quæ ſunt Animi ideæ, & volitiones, in corporis fibras, & membra, motum cient.

ART-

ART. I.

Definiuntur hypotheſes , & quæ hiſce ſuperſtrui poſſunt Metaphyſicorum ſyſtemata ad explicandum Mentis humanæ & Corporis commercium .

§. 130. QUi mirabilem harmoniam Mentem humanam inter & corpus expendens, ejus rationes inquirere ſatagit , protinus agnoſcit , nonniſi alteram duarum ſequentium hypotheſium poſſe aſſumi . I. Vel nempe realem quamdam, & reciprocam inter utramque ſubſtantiam actionem intercedere; ut adeo Anima ſua propria actione corpus modificet, ac moveat: & viciſſim corpus in Animam agens illam diverſimode afficiat, variaſque excitet ideas : Vel II. nullum intereſſe reale commercium Animam inter & corpus , ſed tantum apparens ; ut ita nulla ſit Animæ in corpus actio , & viciſſim corporis in Animam, licet ſtabilem in utriuſque ſubſtantiæ ſtatu harmoniam conſiſtere deprehendamus .

§. 131. Syſtemata, quæ priori hypotheſi inædificantur , *cauſſalitatis, vel phyſici influxus* denominari merito poſſunt. Altera vero hypotheſis ad duo diverſi generis ſyſtemata abire cogit. Vel enim deveniendum eſt ad quamdam præordinationem a ſupremo rerum omnium Opifice factam, qua duæ ſubſtantiæ, Anima & Corpus, propria quidem vi , at ſeorſim , quin altera ab altera ullo pacto pendeat , ſuarum actionum ſimilem

&

& conſonam ſeriem perficientes , invicem ſint conſociatæ : & ſyſtema iſtud *harmoniæ præſtabilitæ* nomine deſignatur : Vel ſtatuendum eſt , Animæ, & Corpori perpetuo adeſſe vigilem & ſatis potentem Cauſſam , quæ juxta corporis ſtatum, ſingulaſque ſenſuum determinationes, Animam ſimiliter afficiat, & conſonas in ea gignat notiones ; ac viciſim , juxta diverſum Animæ ſtatum , ejuſque diverſas determinationes ſimiliter modificet corpus , & varios in eo motus cieat ; & hoc ſyſtema *adſiſtentiæ* , *vel cauſſarum occaſionalium* appellatur . Præter hæc tria , nullum aliud ſyſtema nec eſſe, nec concipi poſſe , videtur .

§. 132. Tria hæc ſyſtemata concinna ſimilitudine, ex duobus horologiis conſonantibus petita, illuſtrari poſſunt. Triplici equidem ratione fieri poteſt, ut duo horologia ſint inter ſe conſonantia: 1. per *influxum*, ſi nempe fecerimus, ut alterum in alterum agat ; alterum alterius motiones excitet ac determinet. 2. Si quadam præordinatione ita ſapientèr eas machinas perfecerimus, ut ſingula ſuas exacte leges ſequentes, & quin in ſe invicem agant, *harmonice* ſibi perpetuo reſpondeant 3. Si opificem operi comitem vigilem, ac perpetuum adjiciamus, qui ſingulis momentis alterius motum unius motui attemperet, & alterum ex altero dirigat . Erit modo opifex harmoniæ inter utrumque horologium intercedentis efficiens Cauſſa , ipſa vero horologia *cauſſæ occaſionales* .

ART.

ART. II.

Adſiſtentiæ Syſtema expenditur, ac refutatur.

§. 133. SYſtema adſiſtentiæ Malebranchium primum habet Auctorem. *Non modo corpora* (ita ille) *non poſſunt eſe veræ Cauſſæ ullius rei, Mentes etiam nobiliſſimæ in eadem verſantur impotentia. Nihil poſſunt cognoſcere, niſi Deus illas illuminet. Nihil poſſunt ſentire, niſi Deus illas modificet. Nihil poſſunt velle, niſi Deus ipſas verſus ſe moveat. .... Cauſſæ naturales non ſunt veræ cauſſæ. Nihil ſunt, quam Cauſſæ occaſionales, quæ non agunt, niſi vi, & efficacia voluntatis divinæ ... Hinc igitur concludendum eſt, homines quidem velle movere brachium, ſed Deum ſolum poſſe, & noſſe illud movere.* (a)

§. 134. Alii moderatius opinantes ſolam vim ſentiendi corporis modificationes Animæ denegant, & vim corporis motricem. Deus, inquiunt, ſenſationes Animæ ingenerat ex occaſione motionum corporis, nec non motiones in corpore ex occaſione volitionum, & affectionum Animæ, idque conformiter legibus a ſe ſtatutis: Cæteras vero ideas ex ſenſuum motionibus minime pendentes ipſa ſibi Mens cudit meditatione, abſtractione, ratiocinio &c. ex antehabitis ideis a Deo impreſſis occaſione motionum corpo-

po-

(a) *Recher. de la verité lib. ſixiem. chap. troiſ. ſecond. part.*

poris. Atqui Alii ſyſtemati cauſſarum occaſionalium tenacius adhærentes, has ipſas ideas a Deo infundi perhibent occaſione attentionis ab Anima præſtitæ. Hanc Animæ attentionem *orationem naturalem* dicunt, & ei reſpondentem idearum infuſionem, *naturalem revelationem*. Quam lepide!

§. 135. Cuilibet ingenue philoſophanti vacuum, ac prorſus commentitium videri iſtud Occaſionaliſtarum ſyſtema, nihil dubito. Equidem, ut merito inquit Tullius, *magna ſtultitia eſt earum rerum Deos facere effectores, Cauſſas rerum non quærere; quidquid enim oritur, qualecunque illud ſit, cauſſam habeat a natura, neceſſe eſt.* (a) Sane Philoſophi rerum naturalium cauſſas inquirentes, haud ſibi proponunt primam, & univerſalem Cauſſam determinare (ecquis ignorat, rerum omnium Cauſſam primam, & univerſalem Deum eſſe!), ſed aliam præter Deum quærunt, quæ ſicuti a Deo ipſo exiſtentiam ſuſcepit, ita & agendi facultate ab eodem prædita, propria, & immediata phyſica actione effectum producat. Porro in ſyſtemate adſiſtentiæ omnis hujuſmodi cauſſa ſubmovetur, & Deus in machinam advocatur. Vacuum proinde eſt hujuſmodi ſyſtema, & philoſopho indignum. Nonne deridiculus eſſet qui interroganti eccur Magnes trahit ferrum, eccur Maris aquæ pene ſtenis quibuſque horis intumeſcant, tum alternatim detumeſcant, graviter reſponderet, id ex eo

Q fie-

(a) L. 1. *De divinat.* c. 26.

fieri, quod Deus, juxta ſtatutum ſibi ipſi legem, ad magnetis præſentiam ferrum ad magnetem ipſum propellat, aquas vero maris alternis vicibus elevet, ac deprimat ex occaſione determinati aſpectus Lunæ? Ecquid philoſophia iſthæc muliercularum inſcitia, omnia ad immediatam Dei virtutem referentium, præſtaret?

§. 136 Atqui, inquiunt, inſolubilis alias eſt nodus commercium Animam inter, & corpus. Quaſi nempe in adſiſtentiæ ſyſtemate perdifficilis hic nodus ſolvatur, non amputetur potius. Jam vero, quod Animæ, & corporis commercium ſit phænomenon inexplicabile, id arguit quidem noſtram ignorantiam, non vero naturalis cauſſæ defectum. Confer *ont.* §. 129.

§. 137. Deinde ſi corporis motiones nihil omnino conferunt ad diverſas Animi perceptiones, cui uſui dicemus fabricata ſenſuum organa? Nempe, inquiunt, ſunt ſenſuum organa eo reſpectu neceſſaria, ut ex horum mutationibus, tanquam occaſionibus, Deus juxta generales a ſe ſancitas leges determinetur ad Animam diverſimode modificandam. Sed illud velim edoceant Occaſionaliſtæ, mutationes, quas ſenſuum organa ſubitura ſunt, fiunt ne actione circumſtantium, ac prementium corporum, vel immediate a Deo ex eorum occaſione? Si primum aſſerunt, jam cauſſam produnt: tribuentes enim corporibus activam vim, qua inter ſe agere queant, nullo jure ſenſibus denegare poſſunt activam vim, qua in Animam agant. Alterum vero ſi fateantur (ut ſcilicet ipſi ſibi ſint conſentanei), inutilia efficiunt ſenſuum organa; quippe ex

oc-

occaſione circumſtantium corporum poteſt Deus illico ſenſationes in Animam immittere, quin ſenſuum motiones ab ipſo Deo excitandæ intercedant. Nimirum in adverſariorum ſyſtemate circumſtantia corpora ſunt occaſiones Deo, ut motiones in ſenſuum organis excitet: deinde hæ motiones ſunt rurſus occaſiones Deo, cur ſenſationes in Animam immittat. Non ne breviori via, & ſapientiori conſilio factum eſſet, ſi ſenſationes immediate circumſtantium corporum occaſionem ſequerentur ex ipſius Dei actione, quin ſenſuum motiones intercederent? Sane non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, & fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora. Vel ergo Deus inconſulto egit hominem ſenſibus ornando, vel noſtrorum ſenſuum, totiuſque corporis exiſtentia ludrica res eſt. Confer quæ diximus in nota §. 127. *ont.*

A R T. III.

Harmoniæ præſtabilitæ ſyſtema a Leibnitio, propoſitum exponitur, atque rejicitur.

§. 138. Leibnitius, Vir & acumine, & ſublimitate ingenii nulli certe ſecundus, quo mirabilem Mentis, & corporis harmoniam expediret, ita philoſophatus eſt.

Et I. quod ad Animas ſpectat, poſuit, 1. Hominum Mentes vi ſibi repræſentandi Univerſum præditas eſſe, & quaſi mappam coſmographicam interius geſtare: Nempe eſſe in continuata ſerie cogitationum, & appetitionum ſe ita excipien-

tium, ut quævis cogitatio contineat ſufficientem rationem ſubſequentis: & quivis Animæ ſtatus antecedens gravidus ſit poſterioris. 2. Quamlibet Animam ex ſua eſſentia, ac natura propriam habere cogitationum, & appetitionum ſeriem, & cur potius talem, quam alteram: Hinc Mentem *automaton ſpirituale* dixit Leibnitius.

II. Quod vero humana corpora reſpicit, cenſuit, 1. quodvis corpus automaton eſſe vi ſibi propria, & ſua natura ſingulas ſubiens motiones etiam in continuata ſerie, ut adeo quævis antecedens motio ſufficientem habeat rationem ſubſequentis: 2. nec non ex ſua natura habere, ut talem potius, quam aliam ſeriem motionum ceperit, proſequatur, modificetque juxta varias circumſtantium corporum actiones, & convenienter legibus mechanicis.

III. Hiſce poſitis principiis ita proſequutus eſt. Deus infinitas numero Mentes, & corpora ſibi quam diſtinctiſſime repræſentans, prædordinavit, eas Mentes, eaque corpora conſociari, quorum ſeries operationum ac ſtatuum perpetuo harmonicæ eſſent, & apprime conſentientes. Ex hac perfecta operationum utriuſque automaton harmonia fieri cenſuit, ut videatur Anima in corpus agere, & viciſſim. At vero nihil inter ſe mutuo agunt; utrumque quam cepit ex ſua natura operationum ſeriem, eamdem vi ſua perſequitur, & independenter a vi, & operationum ſerie alterius, quin nimirum alterum in alterum agat: & ita quidem, ut utraque ſubſtantia ſeu Automaton, Mens ſcilicet, & corpus, eamdem

ope-

operationum ſeriem cepiſſet, ac deinde perſequeretur, etiam ſi ſejunctim altera ab altera exiſteret, vel nonniſi alterutra tantum condita fuiſſet.

§. 139. Ingenioſum equidem inventum, at extra communes ideas; & quod nulli ſuperextructum rationi, mere eſt hypotheticum: Id quod & ipſe ejus Auctor, & acerrimi propugnatores Wolphius, & Bilfingerus ingenue ſunt faſſi. Sed expendamus utrum hominis realis naturæ, & phænomenis conveniat.

§. 140. Principio ponitur in hoc ſyſtemate Mentem in continua verſari cogitationum ſerie, quarum quælibet rationem ſufficientem ſubſequentis contineat; id porro eſt, quod hominis realis phænomenis pugnare, & ſine ſufficienti ratione pronunciatum eſſe, perpetua experimenta quemlibet uberrime edocent. Adpoſite Genuenſis: *ſumat quis in manus lexicum aliquod linguæ alicujus, catalogum plantarum, animantium, aut aliarum rerum, dictionaria artium, ſcientiarum, hiſtoriarum; intra horam percurrere poteſt duo millia verborum idearum inter ſe nullo modo connexarum, plantarum diſſimilium, animantium, artium, factorum, hominum illuſtrium. Quis in omnibus his dixerit rationem poſterioris ideæ aut perceptionis contineri in anteriore, & non potius in impreſſionibus in ſenſibus; aut cerebro factis? Ex. gr. lego hæc verba, Aaron, Ariſtides, Ariſtippus, Averroës, Buſiris, Bucephalus, Binckerſoëk, Bilfingerus, Cedrus; Cæſar, Ceſenates, Centaurus, David, Delphus, Dido, Dantes, &c. totidem obverſantur menti*

CAP. VIII.

De Commercio Animam inter & Corpus

§. 127. SI attentionem ad ea, quæ in nobis perpetuo geruntur convertamus, deprehendemus I. Quoties ſenſuum organa rite ſunt conſtituta, & actione externorum objectorum pulſantur, toties Menti etiam nolenti præſto occurrunt eorumdem notiones, & quidem vividæ, vel confuſæ in ratione irritationum in ipſis ſenſuum organis factarum, & ad cerebrum uſque productarum II. Etiam Corporis affectiones in Animam redundare videntur; Mens nempe ſtatum adſumit corporis ſtatui affinem: ita ex. gr. læta eſt, & viribus erecta, ſi corporis temperatio vegetior ſit, & valeat; triſtis e contrario, & veluti dejecta, corporis temperatione lenteſcente, torpentibuſque viribus; habilis & expedita in ſuis obeundis operationibus, vel e contrario tarda, ac incerta, juxta æquilibratam, vel turbatam ſui corporis conſtitutionem. III. Viciſſim. Ex Mentis arbitrio extemplo corporis membra motiones ſubeunt, quæ mechanicæ eorum ſtructuræ ſunt conformes, & in his tamdiu durant, quamdiu Menti libuerit.

IV. Nec non Animi ideæ, & affectiones plurimum modificant corpus, ut adeo in corpus ipſum manare videantur. Sic animo ira concitato rubent oculi, faciei & totius corporis muſculi tenduntur. Invidus alterius macreſcit rebus opimis: &c.

§. 128. Hæc phænomena ne dum miram intercedere harmoniam oſtendunt Animam inter & corpus; ſed & mutuam dependentiam ſtatuere videntur, nec non arctiſſimum vinculum, quo invicem inter ſe conſociantur. Equidem vinculum iſtud, quodcumque tandem ſit, ſicuti præter noſtri arbitrium ſemel conſtitutum eſt, ita præter noſtri imperium, quoad vivimus, pergit, ac tandem diſſolvitur. Iſthæc harmonia, qua Animi affectiones, notioneſque apprime reſpondent temperationi, ac motionibus corporis ab externa cauſſa illatis; & qua viciſſim corporis motiones atque ſtatus, ideas, affectioneſque Animi, ſequuntur, *commercii* nomine venit.

§. 129. Perdifficilis heic occurrit inquiſitio: qui Commercium iſtud Mentis & corporis abſolvitur? Difficultas maxima in eo primum conſiſtere videtur, quod Mens & corpus ſint naturæ toto cælo diverſæ; deinde, quæ ſunt corporis, & fibrarum cerebri motiones, excitant in Anima perceptiones, notionesque; & viciſſim, quæ ſunt Animi ideæ, & volitiones, in corporis fibras, & membra, motum cient.

ART.

A R T. I.

Definiuntur hypotheſes , & quæ hiſce ſuperſtrui poſſunt Metaphyſicorum ſyſtemata ad explicandum Mentis humanæ & Corporis commercium .

§. 130. QUi mirabilem harmoniam Mentem humanam inter & corpus expendens, ejus rationes inquirere ſatagit , protinus agnoſcit , nonniſi alteram duarum ſequentium hypotheſium poſſe aſſumi . I. Vel nempe realem quamdam, & reciprocam inter utramque ſubſtantiam actionem intercedere; ut adeo Anima ſua propria actione corpus modificet, ac moveat: & viciſſim corpus in Animam agens illam diverſimode afficiat, variaſque excitet ideas : Vel II. nullum intereſſe reale commercium Animam inter & corpus , ſed tantum apparens ; ut ita nulla ſit Animæ in corpus actio, & viciſſim corporis in Animam, licet ſtabilem in utriuſque ſubſtantiæ ſtatu harmoniam conſiſtere deprehendamus .

§. 131. Syſtemata, quæ priori hypotheſi inædificantur, *cauſſalitatis, vel phyſici influxus* denominari merito poſſunt. Altera vero hypotheſis ad duo diverſi generis ſyſtemata abire cogit. Vel enim deveniendum eſt ad quamdam præordinationem a ſupremo rerum omnium Opifice factam, qua duæ ſubſtantiæ, Anima & Corpus, propria quidem vi , at ſeorſim , quin altera ab altera ullo pacto pendeat , ſuarum actionum ſimilem

&

& conſonam ſeriem perficientes , invicem ſint conſociatæ : & ſyſtema iſtud *harmoniæ præſtabilitæ* nomine deſignatur : Vel ſtatuendum eſt , Animæ , & Corpori perpetuo adeſſe vigilem & ſatis potentem Cauſſam , quæ juxta corporis ſtatum , ſingulaſque ſenſuum determinationes, Animam ſimiliter afficiat, & conſonas in ea gignat notiones ; ac viciſſim , juxta diverſum Animæ ſtatum , ejuſque diverſas determinationes ſimiliter modificet corpus , & varios in eo motus cieat ; & hoc ſyſtema *adſiſtentiæ* , *vel cauſſarum occaſionalium* appellatur . Præter hæc tria , nullum aliud ſyſtema nec eſſe, nec concipi poſſe , videtur .

§. 132. Tria hæc ſyſtemata concinna ſimilitudine , ex duobus horologiis conſonantibus petita, illuſtrari poſſunt. Triplici equidem ratione fieri poteſt, ut duo horologia ſint inter ſe conſonantia: 1. per *influxum* , ſi nempe fecerimus, ut alterum in alterum agat ; alterum alterius motiones excitet, ac determinet. 2. Si quadam præordinatione ita ſapienter eas machinas perfecerimus , ut ſingulæ ſuas exacte leges ſequentes, & quin in ſe invicem agant, *harmonice* ſibi perpetuo reſpondeant; 3. Si opificem operi comitem vigilem, ac perpetuum adjiciamus, qui ſingulis momentis alterius motum unius motui attemperet , & alterum ex altero dirigat . Erit modo opifex harmoniæ inter utrumque horologium intercedentis efficiens Cauſſa , ipſa vero horologia *cauſſæ occaſionales* .

ART.

ART. II.

Adſiſtentiæ Syſtema expenditur, ac refutatur.

§. 133. Syſtema adſiſtentiæ Malebranchium primum habet Auctorem. *Non modo corpora* (ita ille) *non poſſunt eſſe veræ Cauſſæ ullius rei, Mentes etiam nobiliſſimæ in eadem verſantur impotentia. Nihil poſſunt cognoſcere, niſi Deus illas illuminet. Nihil poſſunt ſentire, niſi Deus illas modificet. Nihil poſſunt velle, niſi Deus ipſas verſus ſe moveat. .... Cauſſæ naturales non ſunt veræ cauſſæ. Nihil ſunt, quam Cauſſæ occaſionales, quæ non agunt, niſi vi, & efficacia voluntatis divinæ ... Hinc igitur concludendum eſt, homines quidem velle movere brachium, ſed Deum ſolum poſſe, & noſſe illud movere.* (*a*)

§. 134. Alii moderatius opinantes ſolam vim ſentiendi corporis modificationes Animæ denegant, & vim corporis motricem. Deus, inquiunt, ſenſationes Animæ ingenerat ex occaſione motionum corporis, nec non motiones in corpore ex occaſione volitionum, & affectionum Animæ, idque conformiter legibus a ſe ſtatutis: Cæteras vero ideas ex ſenſuum motionibus minime pendentes ipſa ſibi Mens cudit meditatione, abſtractione, ratiocinio &c. ex antehabitis ideis a Deo impreſſis occaſione motionum corpo-

(*a*) *Recher. de la verité lib. ſixiem. chap. troiſ. ſecond. part.*

poris. Atqui Alii ſyſtemati cauſſarum occaſionalium tenacius adhærentes, has ipſas ideas a Deo infundi perhibent occaſione attentionis ab Anima præſtitæ. Hanc Animæ attentionem *orationem naturalem* dicunt, & ei reſpondentem idearum infuſionem, *naturalem revelationem*. Quam lepide!

§. 135. Cuilibet ingenue philoſophanti vacuum, ac prorſus commentitium videri iſtud Occaſionaliſtarum ſyſtema, nihil dubito. Equidem, ut merito inquit Tullius, *magna ſtultitia eſt earum rerum Deos facere effectores, Cauſſas rerum non quærere; quidquid enim oritur, qualecunque illud ſit, cauſſam habeat a natura, neceſſe eſt.* (a) Sane Philoſophi rerum naturalium cauſſas inquirentes, haud ſibi proponunt primam, & univerſalem Cauſſam determinare (ecquis ignorat, rerum omnium Cauſſam primam, & univerſalem Deum eſſe!), ſed aliam præter Deum quærunt, quæ ſicuti a Deo ipſo exiſtentiam ſuſcepit, ita & agendi facultate ab eodem prædita, propria, & immediata phyſica actione effectum producat. Porro in ſyſtemate adſiſtentiæ omnis hujuſmodi cauſſa ſubmovetur, & Deus in machinam advocatur. Vacuum proinde eſt hujuſmodi ſyſtema, & philoſopho indignum. Nonne deridiculus eſſet qui interroganti eccur Magnes trahit ferrum, eccur Maris aquæ pene ſenis quibuſque horis intumeſcant, tum alternatim detumeſcant, graviter reſponderet, id ex eo

(a) L. 1. *De divinat.* c. 26.

fieri, quod Deus, juxta ſtatutum ſibi ipſi legem, ad magnetis præſentiam ferrum ad magnetem ipſum propellat, aquas vero maris alternis vicibus elevet, ac deprimat ex occaſione determinati aſpectus Lunæ? Ecquid philoſophia iſthæc muliercularum inſcitia, omnia ad immediatam Dei virtutem referentium, præſtaret?

§. 136 Atqui, inquiunt, inſolubilis alias eſt nodus commercium Animam inter, & corpus. Quaſi nempe in adſiſtentiæ ſyſtemate perdifficilis hic nodus ſolvatur, non amputetur potius. Jam vero, quod Animæ, & corporis commercium ſit phænomenon inexplicabile, id arguit quidem noſtram ignorantiam, non vero naturalis cauſſæ defectum. Confer *ont.* §. 129.

§. 137. Deinde ſi corporis motiones nihil omnino conferunt ad diverſas Animi perceptiones, cui uſui dicemus fabricata ſenſuum organa? Nempe, inquiunt, ſunt ſenſuum organa eo reſpectu neceſſaria, ut ex horum mutationibus, tanquam occaſionibus, Deus juxta generales a ſe ſancitas leges determinetur ad Animam diverſimode modificandam. Sed illud velim edoceant Occaſionaliſtæ, mutationes, quas ſenſuum organa ſubitura ſunt, fiunt ne actione circumſtantium, ac prementium corporum, vel immediate a Deo ex eorum occaſione? Si primum aſſerunt, jam cauſſam produnt: tribuentes enim corporibus activam vim, qua inter ſe agere queant, nullo jure ſenſibus denegare poſſunt activam vim, qua in Animam agant. Alterum vero ſi fateantur (ut ſcilicet ipſi ſibi ſint conſentanei), inutilia efficiunt ſenſuum organa; quippe ex

oc-

occaſione circumſtantium corporum poteſt Deus illico ſenſationes in Animam immittere, quin ſenſuum motiones ab ipſo Deo excitandæ intercedant. Nimirum in adverſariorum ſyſtemate circumſtantia corpora ſunt occaſiones Deo, ut motiones in ſenſuum organis excitet: deinde hæ motiones ſunt rurſus occaſiones Deo, cur ſenſationes in Animam immittat. Non ne breviori via, & ſapientiori conſilio factum eſſet, ſi ſenſationes immediate circumſtantium corporum occaſionem ſequerentur ex ipſius Dei actione, quin ſenſuum motiones intercederent? Sane non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, & fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora. Vel ergo Deus inconſulto egit hominem ſenſibus ornando, vel noſtrorum ſenſuum, totiuſque corporis exiſtentia ludrica res eſt. Confer quæ diximus in nota §. 127. *ont.*

ART. III.

Harmoniæ præſtabilitæ ſyſtema a Leibnitio propoſitum exponitur, atque rejicitur.

§. 138. Leibnitius, Vir & acumine, & ſublimitate ingenii nulli certe ſecundus, quo mirabilem Mentis, & corporis harmoniam expediret, ita philoſophatus eſt.

Et I. quod ad Animas ſpectat, poſuit, 1. Hominum Mentes vi ſibi repræſentandi Univerſum præditas eſſe, & quaſi mappam coſmographicam interius geſtare: Nempe eſſe in continuata ſerie cogitationum, & appetitionum ſe ita excipien-

tium, ut quævis cogitatio contineat ſufficientem rationem ſubſequentis: & quivis Animæ ſtatus antecedens gravidus ſit poſterioris. 2. Quamlibet Animam ex ſua eſſentia, ac natura propriam habere cogitationum, & appetitionum ſeriem, & cur potius talem, quam alteram: Hinc Mentem *automaton ſpirituale* dixit Leibnitius.

II. Quod vero humana corpora reſpicit, cenſuit, 1. quodvis corpus automaton eſſe vi ſibi propria, & ſua natura ſingulas ſubiens motiones etiam in continuata ſerie, ut adeo quævis antecedens motio ſufficientem habeat rationem ſubſequentis: 2. nec non ex ſua natura habere, ut talem potius, quam aliam ſeriem motionum ceperit, proſequatur, modificetque juxta varias circumſtantium corporum actiones, & convenienter legibus mechanicis.

III. Hiſce poſitis principiis ita proſequutus eſt. Deus infinitas numero Mentes, & corpora ſibi quam diſtinctiſſime repræſentans, præordinavit, eas Mentes, eaque corpora conſociari, quorum ſeries operationum ac ſtatuum perpetuo harmonicæ eſſent, & apprime conſentientes. Ex hac perfecta operationum utriuſque automaton harmonia fieri cenſuit, ut videatur Anima in corpus agere, & viciſſim. At vero nihil inter ſe mutuo agunt; utrumque quam cepit ex ſua natura operationum ſeriem, eamdem vi ſua perſequitur, & independenter a vi, & operationum ſerie alterius, quin nimirum alterum in alterum agat: & ita quidem, ut utraque ſubſtantia ſeu Automaton, Mens ſcilicet, & corpus, eamdem

ope-

operationum ſeriem cepiſſet, ac deinde perſequeretur, etiam ſi ſejunctim altera ab altera exiſteret, vel nonniſi alterutra tantum condita fuiſſet.

§. 139. Ingenioſum equidem inventum, at extra communes ideas; & quod nulli ſuperexſtructum rationi, mere eſt hypotheticum: Id quod & ipſe ejus Auctor, & acerrimi propugnatores Wolphius, & Bilfingerus ingenue ſunt faſſi. Sed expendamus utrum hominis realis naturæ, & phænomenis conveniat.

§. 140. Principio ponitur in hoc ſyſtemate Mentem in continua verſari cogitationum ſerie, quarum quælibet rationem ſufficientem ſubſequentis contineat; id porro eſt, quod hominis realis phænomenis pugnare, & ſine ſufficienti ratione pronunciatum eſſe, perpetua experimenta quemlibet uberrime edocent. Adpoſite Genuenſis: *ſumat quis in manus lexicum aliquod linguæ alicujus, catalogum plantarum, animantium, aut aliarum rerum, dictionaria artium, ſcientiarum, hiſtoriarum; intra horam percurrere poteſt duo millia verborum idearum inter ſe nullo modo connexarum, plantarum diſſimilium, animantium, artium, factorum, hominum illuſtrium. Quis in omnibus his dixerit rationem poſterioris ideæ aut perceptionis contineri in anteriore, & non potius in impreſſionibus in ſenſibus, aut cerebro factis? Ex. gr. lego hæc verba, Aaron, Ariſtides, Ariſtippus, Averroës, Buſiris, Bucephalus, Binckerſoëk, Bilfingerus, Cedrus; Cæſar, Ceſenates, Centaurus, David, Delphus, Dido, Dantes, &c. totidem obverſantur menti*

perceptiones; *eſt autem quis adeo ineptus qui dicat*, *rationem ſufficientem notionis Ariſtidis eſſe in perceptione ſummi Sacerdotis Aaronis*, *Ariſtippi notionis in Ariſtide*, *Averrois in Ariſtippo &c.* . . . . *niſi hæc componant Leibnitiani*, *ſciant*, *neminem eſſe adeo incogitantem*, *qui hæc ſibi velit perſuadere*. *Sunt, inquiunt, rationes ſufficientes*, *quas non pervidemus*; *ſcilicet ita ludere cum pueris potuit renatus Pythagoras*, *ut iis una eſſet ratio*, *ipſe dixit*: *at philoſophis ut nova doctrina perſuadeatur*, *rationes ſaltem probabiles reddendæ ſunt*, *quas illi intelligant*, *& probent* (a).

§. 141. Deinde ſingulas corporis motiones in continuata ſerie fieri ex ſola vi bruta, & mechaniſmo ipſius corporis, neſcio quod portentum alit. Nempe (inquit laudatus Auctor loco citato) *Corpus Alexandri Macedonis*, *Annibalis*, *Julii Cæſaris nulla mentis directione*, *nulla manu directrice*, *ipſa inſita bruta vi*, *ejuſque fatalibus modificationibus*, *non ſecus atque fictiles marmorei*, *aut argentei hermæ*, *aut circulatorum pupæ*, *ea omnia efficere debuere*, *quæ in eorum hiſtoriis narrantur*. *Ea etiam effeciſſent*, *ſi poſtridie ejus diei*, *qua geniti ſunt*, *eorum mentes in nihilum eſſent redactæ*. *Exercuiſſent ſeſe in artibus omnibus*, *quibus reſpublica belli*, *domique gubernatur*: *petiiſſent magiſtratus*: *delectum militum habuiſſent*, *agmina diſpoſuiſſent*: *paraſſent commeatus*: *flumina*, *maria tran-*

(a) *Metph. p.* 3. *prop.* 27.

tranſiſſent: prælia infinita iniiſſent: fœdera aut paces ſanxiſſent, Mentibus interim, & Deo otioſe inſpectantibus. Præclara ea quidem, & Dei amplitudine digna, ſed vereor ne ulli perſuadeat Leibnitius.

§. 142. Cum non liceat ſingula perſequi, unum alterum monebo; hanc ſcilicet Leibnitii hypothesim recta in idealiſmum, tum & egoiſmum ducere. In animum quis ponat ſuum, Mentem automaton eſſe ejuſmodi, ut vi & natura ſua independenter a quavis extrinſeca cauſſa in ſua verſetur perceptionum ſerie, undenam reſcire poterit, ſpectabilem Mundum, ipſumque ſuum corpus exiſtere? Perceptionum ſeries, utpote ex Animi natura manans, eadem evolveretur etiam facta hypotheſi, qua nullus exiſteret Mundus, nullum corpus, nulla alia Mens. Equidem Animi ideæ realem ſibi vindicant exiſtentiam, ſunt quippe ipſius Animi modificationes, quas interiori ſenſu perſentiſcimus; atque adeo de ideali Mundi exiſtentia certi efficimur. Sed cum hæ ideæ nullatenus ab extrinſeco pendeant, nullatenus conſtare poterit, extra ipſam Mentem cogitantem aliquid reale exiſtere.

ART. IV.

Cauſſalitatis ſyſtema Peripateticum exponitur, & exſufflatur.

§. 143. CAuſſalitatis, ſeu phyſici influxus ſyſtema a Peripateticis peſſime, & portentoſe expoſitum 1. duplicem Animæ tribuit intellectum, *agentem* unum, *patientem* alterum; 2. duplicem ponit idearum, ſeu ſpecierum naturam, quas *impreſſas* dicunt, & *expreſſas*. Hiſce poſitis principiis, ita rem expedire putant.

§. 144. Externa objecta ſtatim ac in corporis organa ſenſoria agunt, commotionem in fibris excitant, quæ ad cerebrum illico perducitur. Hanc fibrarum cerebri commotionem *ideam materialem, & ſpeciem impreſſam* dicunt. Impreſſa iſthæc ſpecies ab *agente intellectu* arripitur, & *ſpiritualizatur*, ſeu in ideam vere talem, & perceptibilem convertitur, & in *intellectu patiente* exprimitur, a quo propterea percipitur; & hæc vocatur *idea expreſſa*. Simili modo ſingulæ corporis affectiones Animæ communicantur. Quod vero ſpectat corporis motiones ex Animi imperio derivantes, inquiunt, vim quamdam ex Anima in corpus manare, & *corporalizari*, ejuſque membra agere juxta determinationem ab Anima acceptam.

§. 145. Portentoſam opinionem expoſuiſſe, confutaſſe eſt: neque enim operæ pretium eſt in ea diutius immorari. Alias ergo concipiendum eſt cauſſalitatis ſyſtema.

ART.

ART. V.

Cauſſalitatis ſyſtema novo conamine exponitur, quidque tandem ſentiendum ſit de Animæ, & corporis commercio edocetur,

§. 146. Licet cauſſalitatis ſyſtema peſſime ſit a Peripateticis expoſitum, haud tamen ab eo recedendum videtur; ſed potius novo conamine, ſi Superis placet, purgatiori philoſophia duce adniti debemus in eo adornando. Sane cujuſque phænomeni ſua ſufficiens ratio eſſe debet. Cum ergo ratio ſufficiens harmoniæ Animam inter & corpus nequeat aliunde derivari, quam ex altero trium ſyſtematum, *adſiſtentiæ*, *harmoniæ præſtabilitæ*, & *cauſſalitatis* §. 131., illis prioribus rejectis *art.* II. & III., nonniſi cauſſalitatis ſyſtema reliquum eſt, quod amplectamur. Revera, etſi concedamus, intimum conſcientiæ ſenſum non ſatis clare teſtari realem, & reciprocam Animæ & corporis actionem, ſicuti ex. gr. noſtri exiſtentiam, libertatem &c. teſtatur; haud tamen inficiari poteſt, naturæ veluti ſenſu nos de ea moneri; quippe nemo unus ſyſtematis ſtudio vacuus, ſibique conſtans de eo audeat dubitare. Accedit, quod ipſis fatentibus aliarum ſententiarum Patronis, tanta inter Animam, & corpus intercedit harmonia, quanta intercedere poteſt ex reali, & reciproca utriuſque ſubſtantiæ actione. Itaque ita mihi ſentiendum videtur;

§. 147. I. Animam inter cæteras facultates, &

& vires ſibi natura inſitas, ea præſertim gaudere, qua omnes, & ſingulas ideas ipſa ſibi cudat. Sicuti nempe in ſingulis plantis peculiaris quædam vis, quam plaſticam dicunt, natura indita eſt, qua frondes, flores &c. ſibi gignunt juxta propriam cujuſque indolem, & naturam: ita ea vis Animæ matrix & primigenia, natura indita eſt, qua ſeipſam ciendo, ſeipſam modificando, omnes & ſingulas ipſa ſibi cudat ideas. De hac vi ſequenti capite redibit ſermo.

II. Animam inter & corpus mutuam, & realem actionem ex propriis, & natura inſitis viribus fluentem intercedere, ut ita queat Anima, vel potius ejus Vires affici, excitari, cieri, ac peculiari modo determinari e peculiaribus corporis actionibus; & e converſo, vires corporis cieri, excitari, ac determinari queant ab actione Animæ.

§. 148. Revera nemo ſanus, ac præjudiciis vacuus inter impoſſibilia mihi rejecturus videtur, Vires corporis cieri, excitari, ac determinari poſſe ab actione Animæ, & viciſſim. Nam ſubſtantias materiales mutuis viribus inter ſe agere, ſeque ipſas ciere, præter Occaſionaliſtas, nullus dubitat. Quid ergo aſſerere vetabit, Animam quoque & corpus mutuis viribus ſe afficere? quia nempe ſunt ſubſtantiæ diverſæ naturæ? At non video, eccur hæc naturarum diverſitas mutuam inter eas actionem excludere neceſſario debeat. Et I. quod adtinet actionem Animæ in corpus, puto, quod Deus Animam ejuſmodi naturæ condere potuerit, & revera condiderit, ut ſimplex cum ſit, & cogitandi, & li-

libere volendi facultate prædita, vi quoque motrice gaudeat, qua corpus, cui copulatur, ciere poſſit. Certe ſi natura ſubſtantiarum materialium tota contineri videtur vi motrice, veroſimile eſt, Animam, ſubſtantiam nempe altioris ordinis, ac ſunt ſubſtantiæ materiales, facultatibus quidem ornatam nobilioribus, haud vero caruiſſe activa vi illa, qua inferiores ſubſtantiæ gaudent, & quacum in commercium venire poteſt cum corpore, cui copulatur; præſertim cum ad hominem conſtituendum natura ſua ſit deſtinata.

II. Quod vero ſpectat actionem corporis in Animam, quid pugnat aſſerere, Animam ejus eſſe naturæ, ut affici queat actione, & temperatione corporis, ejuſque vim excitari, & determinari ad peculiares ideas ac notiones ex ejus natura fluentes a modificata vi, & peculiari actione elementorum fibras conſtituentium? (a) Nempe vis, qua ſubſtantia materialis in alteram ejuſdem naturæ agens acceſſum, vel receſſum (ſcilicet motum) gignit, in alteram ſubſtantiam diverſæ naturæ, Animam nempe, agens, illam diverſo plane modo afficiet, puta naturales ipſius vires excitabit, obtundet, determinabit. Sicuti ex. gr. planta natura ſua, & vi ſibi inſita vegetat; folia, floreſque emittit, plurimaſque alias ſuæ naturæ conſentaneas mutationes ſubit, plurimum tamen iſthæc vis determinatur, ac dirigitur ab externis cauſſis, pu-

(a) Confer quæ §.126. contra Epicureos adnotavimus.

puta aëre, luce, calorico, aqua &c. ita nihil vetabit, vim Animæ inſitam ſibi ipſi cudendi ideas, ſeque ipſam modificandi, a corporis, cui copulata eſt, temperatione obtundi, excitari, & ex peculiaribus fibrarum cerebri agitationibus determinari ac dirigi ad peculiares ideas ſibi cudendas, & ad peculiares modificationes ſibi inducendas (*a*).

§. 149. Equidem intelligo, magnum myſterium harmoniæ Mentis, & corporis, poſt hactenus dicta, adhuc tenebris circumſepiri. At ſi quod ſentio, libere expromere licet; ediſſeram, hujuſce nodi vere gordiani plenam ſolutionem extra humanas vagari ideas, neque ſi ſapimus, quid ultra de eo enodando ſollicitos nos eſſe debere. Revera

§. 150. Quo effectuum derivantium ex reciproca ſubſtantiarum actione inter ſe, adæquata tradatur explicatio, clara & diſtincta notio in anteceſſum habeatur, oportet, virium, e quibus

(a) Nolim calumniam quis mihi inferat ex hoc exemplo. Quorſum exempla ſpectent, norunt quotquot æquo judicant jove, quod ſemel monuiſſe ſufficiat. Quod ad præſens adtinet, aperte dico, vim plantæ vegetativam ex ſumma virium omnium ſimplicium ſubſtantiarum, ſeu elementorum, quibus planta coaleſcit; conflati; atque adeo vel diſſolutis plantæ elementis, vel extra ordinem poſitis, violenter actis, diſſociatis &c. vis vegetativa deperit. Contra ſe res habet de Anima, quæ cum ſimplex ſit ſubſtantia; & una, vi activa cogitandi expoliari non poteſt; ad ſummum in agendo obtundi poterit, neutiquam extingui; ſubſtantiarum quippe naturæ mutuis inter ſe actionibus modificari quidem poſſunt; at deleri nequeunt.

bus actiones fluunt, & ſubſtantiarum, quibus vires ipſæ inſunt, mutuæque excipiuntur actiones. At virium quarumvis incomperta nobis eſt interior natura, & realis eſſentia, non ſecus ac ſubſtantiarum, quibus illæ inſunt. Et quod ad præſens adtinet, ſufficiat animadvertere, 1. ſubſtantiarum materialium nos nihil aliud ſcire, niſi quod invicem in ſe agant, & in ſenſus noſtros, atque hinc varia Menti percipienti phænomena occurrere; 2. ſimiliter humanæ Mentis nihil aliud nos ſcire, niſi quod ſimplex ſit ſubſtantia, ſentiens, attendens, ſibi conſcia &c. Cum igitur intimam realem eſſentiam ignoremus utriuſque generis ſubſtantiarum, nec non realem naturam virium iis inſitarum; hinc profecto fieri nequit, quin inexplicabile ſit phænomenon commercium Animam inter, & corpus, ejuſque plena ſolutio extra humanas ideas vagetur.

§. 151. Quo ergo, inquies, philoſophorum ſpectant theoriæ, & ſyſtemata? Nempe humanæ cognitiones reapſe circa phænomena verſantur, non circa phænomenorum cauſſas. Cum enim phænomena vel quamdam inter ſe habeant analogiam, vel quemdam nexum, tum alia ſint aliorum modificationes; in eo totius philoſophiæ ſumma verſatur, ut phænomena peculiaria per pauca quædam generalia, & ſingulis nota, exponamus, vel per eis ſimilia, quæ magis patent. Analyſis ope Philoſophi ex peculiaribus phænomenis generalia, quorum illa ſunt modificationes, colligunt: tum inverſa methodo, quam ſyntheſim appellant, hæc generalia

phæ-

phænomena pro principiis ponunt, & in combinationes, quas ſubire poſſunt, inquirunt; atque hac methodo rationem adſignant peculiarium quorumvis phænomenorum, quæ per illas combinationes poſſibilia ſunt. Theoriæ itaque, ſyſtemata, explicationes philoſophorum &c. peculiaria reſpiciunt phænomena ad certam claſſem ſpectantia, quatenus ex primitivis, & generalibus phænomenis derivari poſſunt.

§. 152. Jam vero cum quæritur, quomodo Anima in corpus, & viciſſim corpus in Animam agit, patet, primitivi & generalis phænomeni rationem quæri, ſicuti in phyſicis ſi quærerem, quomodo Planetæ in Solem, & Sol viciſſim in planetas agit: quî vegetantia, & animalia ſeipſa reproducant, & illa exhibeant phænomena, quæ cujuſque ſunt propria &c. Cum ergo 1. virium interior natura lateat; 2. nec generaliora, & magis ſimplicia nobis pateant ejus generis phænomena, quorum reciproca Mentis, & corporis harmonia ſit modificatio, nullam adæquatam, vel ſufficientem illius explicationem adſignare poterunt Metaphyſici. Quam ergo hac de re ſupra expoſuimus opinionem, & explicationem, mancam eſſe, & tenebris circumſeptam, ultro fatemur; ſed ab ea haud recedendum putamus, neque ultra ſollicitos nos eſſe debere.

§. 153. Actionem Animæ in corpus negant aliqui eo permoti argumento, quod ipſis ignota ſit fibrarum cerebri textura, tum nervorum, & muſculorum per corpus dimanantium origo, quorum ſcilicet ope ſingulæ motiones cieri debent. At id nihil vetat, quominus Animam ex im-

imperio ſuum ciere corpus dicamus; quam enim actionem in corpus exercere Anima debeat, & in quam cerebri partem, experientia edocetur, quin corporis & cerebri texturam calleat. Sane videmus, pueros manus, pedeſque &c. diu inordinate geſtare, ad objecta parum, aut nihil dirigere ſcientes, demum ſuorum organorum uſum longa experientia ediſcere. *Concipe ab ingenioſo quodam Artifice fontem quemdam ad artis mechanicæ, & hydraulicæ amuſſim ita conſtructum eſſe, ut quamprimum aſſerculi, per quos aditus demum ad fontem datur, incedentium greſſu deprimuntur, occulto mechaniſmo variarum rotarum, funiumque ope ſub aſſeribus abſconditorum, aliæ atque aliæ mirificæ ſpecies e fonte confeſtim proſiliant, quales v. g. fontes Kircherus, Schottus, aliique deſcribunt. Concipe jam tibi, puerulo ad hocce ſpectaculum admiſſo, cum hac adcurrit, Neptunum cum tridente minaci obviam fieri, dum illac, Nereides; ex alia parte Glaucum marinum, alibi vero Delphinos, & ſic porro. Puer iſte mechaniſmi abſconditi ignarus, nec ad omnia præſentia attentus, non obſervabit, ſe revera actione ſua producere hoſce effectus; obſervabit tamen, ſi adverſus eam partem proceſſerit, ſemper ſibi hoc potius, quam aliud obviam fieri objectum: poterit igitur jam pro lubitu hæc phænomena moderari, ac ſi v. g. Neptuni, ac ſceptri ejuſdem tricipitis contemplatione delectetur, efficere, ut prodeat, ſi ſcilicet verſus certam plagam adcurrat. Nemo dubitaverit, puerum horum motuum cauſſam eſſe, ac actione ſua phænomena producere.*

CAP.

CAP. IX.

De idearum, notionumque natura, atque origine.

§. 154. INquiſitio, quam modo adgredimur, idearum notionumque naturam, atque originem expenſuri, adeo eſt cum præcedenti, quæ commercium Animam inter, & corpus ſpectabat, copulata, ut altera ab altera ſejungi nullo modo poſſit; & qui in una erraverit, in altera per devia pergat, oportet. Multiplices, diſcrepanteſque hac de re philoſophorum ſententiæ nequeunt veritatis conſecutionem difficiliorem, & abſtruſiorem, quam revera eſt, non reddere. Quare hiſce modo poſthabitis, tres animadverſiones, quæ ad veritatem capeſſendam ſternunt viam, in anteceſſum exhibebo, tum rem ipſam expediemus; tandem præcipuas aliorum ſententias ſummatim exponemus, & breviter perſtringemus.

A R T. I.

Animadverſiones præliminares ad idearum, notionumque naturam, atque originem expiſcandam.

§. 155. ANimadverſio I. Nihil Mens percipere poteſt niſi in ſeipſa. Id equidem loco axiomatis haberi poteſt; ſive enim perceptiones pro actionibus, ſive pro paſſionibus

bus Mentis haberi velint, ſunt profecto ipſius Mentis modificationes, & immanentes, non effluentes. Nequit ergo Mens quidpiam percipere niſi in ſeipſa.

§. 156. *Animad.* II. Cum dicimus, Mentem objecta externa percipere, iſthæc reapſe non percipit. Si enim ita, cum nihil Mens percipere poſſit niſi in ſeipſa, vel Objecta, quæ dicuntur externa, in Mente formaliter contineantur oportet, vel ipſa Mens perceptis Objectis intime fiat præſens. Ambo hæc pugnant. Cum ergo dicimus, Mentem externa objecta percipere, reapſe non percipit ipſa objecta.

§. 157. Id cum omni careat dubio, pronum fuit deducere, Mentem in ideis Objecta percipere. Habuerunt ſcilicet ideas veluti objectorum imagines, quæ, cum Menti fiunt præſentes, ab ipſa intelliguntur, ſeu percipiuntur. Hinc paſſim audire eſt, Mentem in ideis objecta extra poſita contemplari: Imaginationis profecto iſthæc eſt illuſio a ſpeculorum phænomenis derivata. Cum nimirum objecta extra oculorum obtutum poſita ope imaginum in ſpeculis opportune poſitis depictarum intueamur, facile fuit concipere, objecta extra poſita ſiſti coram Mente per imagines, ſcilicet ideas, & in his illa percipi. Sed quam præpropere, & oſcitanter, mox apparebit.

§. 158. *Animad.* III. Nequit Mens in ideis tanquam in imaginibus res extra poſitas percipere. Nam 1. Si ita: ubinam has ideas, ſeu imagines reſidere dicemus, in Anima ne, vel in cerebro? Haud quidem in cerebro; 1. ne-

quit quippe Mens quidquam percipere niſi in ſeipſa §. 155; 2. quævis rei imago nihil eſt aliud, niſi talis partium diſpoſitio, ordo, figura, magnitudo &c., quæ ſimilis ſit rei, cujus eſt imago. Si porro ideæ forent imagines rerum cerebro expictæ, minimæ cerebri fibrillæ tali ordine, figura, ſitu, colore &c. componi deberent, ut ſimulacrum rei Menti exhibere poſſent. Sed nihil præter motum in cerebri fibris adeſt, cum Menti adſunt ideæ. Nequeunt igitur ideæ eſſe rerum imagines cerebro expictæ. Ad hæc 3. quî Mens expictas cerebro imagines intueretur, ipſum vero cerebrum nullo modo? quaſi nempe poſſit quiſpiam pictas in tela figuras videre, nec videre telam ipſam, quæ eſt figurarum ſubjectum.

Sed neque poſſunt ideæ eſſe imagines Menti percipienti inhærentes. Eſt enim Mens ſimplex ſubſtantia, cui proinde adeo pugnat inhærere imagines exhibentes magnitudinem, figuram, colorem, partium ordinem &c., ac pugnat puncto geometrico triangulum, polygonum &c. inſcribi. Deinde rerum ideæ, cum Menti primo occurrunt, vel perpetuo eidem permanentes inhærent, vel ſemel perceptæ poſthac pereunt, & evaneſcunt. Si primum Mens perennes, ac indeficientes habebit perceptiones rerum olim perceptarum; Quî enim fieri poteſt, ut pictas, ſibique adhærentes, & immanentes ideas non advertat? Si alterum, cum nequeat Mens objecta percipere niſi in ideis, hiſce evaneſcentibus, non poterit Mens ad earumdem rerum modo abſentium contemplationem redire, niſi

ite-

iterum ideæ recurrant, aut recudantur: at unde? a quo? Ideæ itaque non ſunt rerum imagines.

A R T. II.

Idearum origo ac natura expenditur.

§. 159. OMnes ac ſingulas humanæ Mentis ideas, notioneſque e ſenſuum miniſterio primam petere originem, quotidiana experientia nihil dubitare ſinit. Revera, qui ſenſu aliquo a nativitate carent, ideis omnimode deſtituuntur, quæ ad illum ſpectant ſenſum, neque ulla arte eas edoceri poſſunt; at vero easdem ſibi comparant, ſi artis vel naturæ molimine fiat, ut ſenſus, cujus uſu eatenus caruerant, reparetur. Nemo hinc non intelligit, quod, ſi ſupponamus Hominem omni prorſus ſenſu deſtitui, hic omnimoda rerum omnium ignoratione laboraturus eſſet. Patet ergo, omnes ac ſingulas noſtras ideas, notioneſque e ſenſuum miniſterio ſuam tandem habere originem.

§. 160. Atqui non æquo modo ſingulæ ideæ e ſenſibus pendent. Quæ ſunt omnium primæ per ſentiendi facultatem e ſenſibus immediate comparantur, cujuſmodi puta ſunt ideæ exiſtentiæ corporum, colorum, ſonorum &c. Cæteras vero omnes per facultatem reflectendi aſſequimur, & veluti deducimus ex primis, quas immediato ſenſuum miniſterio nacti ſumus. Hujuſmodi ſunt quotquot ideæ notioneſque res ſpectant, quæ ſenſus minime afficiunt. Equidem

nulla prorſus eſt idea in humana Mente, quæ ex altero horum fontium (ſenſatione ſcilicet & reflexione) non ſit derivata. Id copioſe a Lockio pertractatum; temporum enim conditio ita fieri exigebat. Atqui id ipſum hodie retractare ſupervacaneum eſt: ſane quilibet omni præjudicio vacuus, utut minimum ſibi ſapiat, protinus in ſe ipſo deprehendere poterit, nullam ſuæ Menti obverſari notionem, quam vel ex ſenſibus, vel ex reflexione ſibi non compararit.

§. 161. Ideæ a perceptionibus nihil, niſi cogitatione tantum, ſecernendæ videntur. Nempe una eademque Mentis affectio & actio, quæ perceptio eſt, & dicitur, quippe ipſius Mentis eſt actio, idea quoque eſt, quippe objectorum extra poſitorum repræſentativa. Sane repræſentationes, quæ coram Mente percipiente fiunt, non ſunt ipſa externa objecta §. 156: neque ſunt objectorum imagines Menti exhibitæ, queis objecta contempletur §. 158. Nequeunt ergo eſſe niſi phænomenon perceptionum, ſeu nequeunt eſſe niſi ipſæ perceptiones, quatenus ſunt repræſentativæ. Nihil ergo ideæ a perceptionibus ſecernendæ veniunt, niſi ſola cogitatione ob diverſas relationes. Revera nulla concipi poteſt repræſentatio in Mente, niſi & perceptio ſimul ſupponatur; & e contrario, nulla perceptio in Anima eſſe poteſt, niſi ſimul repræſentatio adſtet: hinc notio mentalis repræſentationis includit notionem perceptionis, & viciſſim, notio perceptionis continet notionem repræſentationis. Cum itaque altera alteri æquivaleat, perceptio a repræſentatione, ſcilicet idea, nihil ipſa re ſecer-

cernenda venit. Quod ſi duo diſtincta adhibemus vocabula *perceptionis*, & *ideæ*, id propterea efficimus, ut duos diſtinctos reſpectus unius, ejuſdemque rei deſignemus, duas diſtinctas relationes, ad Mentem ſcilicet, & ad externa objecta.

§. 162. Nequeunt perceptiones aliter haberi, quam Animæ actiones ex ejus interiori natura manantes. Niſi enim ita, Anima foret ſubjectum mere paſſivum ſuarum cogitationum; & non magis Mens, quam crudus later, aut quodvis aliud inanime. Equidem nemo in dubium revocabit, Mentem ſuarum perceptionum ſibi eſſe effectricem cauſſam, ſi quid ſit *percipere*, acute introſpiciat. *Percipere* ſane idem valet, ac capere, intueri, agnoſcere, advertere quid interius, vel exterius Menti accidat: hæc autem ſunt procul dubio actiones activi cujuſdam principii, quod intueri, agnoſcere, capere dicitur. Confer etiam quæ §. 21. diximus. Perceptiones itaque habendæ ſunt pro actionibus ex interiori, & activa Animæ vi fluentibus.

§. 163. Ex dictis ſponte ſua ſequitur, Mentem humanam habendam eſſe ſubſtantiam ejuſmodi temperationis & naturæ, ut ipſa ſibi omnes & ſingulas cudat ideas, non quidem ſua libera ſponte, ſed ipſius ſuæ naturæ neceſſitate, & dependenter a facultatibus ſentiendi, & reflectendi. Sane omnes humanas ideas a ſentiendi facultate primam auſpicari originem §. 159. evicimus: ipſæ ideæ, quæ reflexione comparantur, ſentiendi facultatem exigunt, & præſupponunt §. 50. Sed nihil eſt in ſenſuum, ac reſ-

pondentium cerebri fibrarum commotionibus; quod ideis ac notionibus Mentis affine ſit, & ſimilitudine naturæ reſpondeat. Idearum ergo geneſis petenda eſt ex interiori Mentis vi, ac natura, ſed quæ tamen per ſenſitivam facultatem determinetur (*a*).

§. 164. Sed inquit *Genuenſis: Non magis poteſt Mens ideas ſibi creare, quam pictor ignotæ rei expreſſam imaginem depingere*. Atqui ſupponit Cl. Vir ideas a perceptionibus realiter di-

(*a*) Hujus rei exemplum e rebus materialibus capere liceat: unde enim aliter deſumemus? Ars, & Natura plura exhibent entia ita condita, & interius conſtituta, ut ſive interiori mechaniſmo, ſive inſitarum virium temperatione plures ſubeant internas, & externas mutationes, plures ſuæ naturæ conformes gignant effectus, & phænomena præbeant, quæ, nobis illarum virium naturam minime callentibus, mira prorſus videntur: præſtant vero ea omnia determinatione extrinſecus ſuſcepta. Hujus generis ſunt quamplurimæ machinæ, nec non multiplicia & innumera cum vegetantium, tum animantium germina. Num ne Deus humanam Mentem, equidem ſubſtantiam ſimplicem & ſpiritualem, ejus tamen naturæ ac temperationis condere non valuit, ut interiori vi, & activitate, excita tamen ac determinata ab externis fibrarum cerebri commotionibus, ipſa ſibi cudat ideas, & notiones? Meminerimus humanam Mentem haud quidem eſſe e genere Intelligentiarum ſimplicium, & ſeparatarum a quavis materiali compage: ſed neque purum eſſe ſtipitem, & crudum laterem; tum recolamus illam natura ſua comparatam a ſummo Opifice ad ſocietatem cum corpore ineundam.

Sed obſcura, inquies, isthæc ſunt. Fateor; verum vero hujuſmodi ſunt omnia, quæ cæterarum rerum naturas ſpectant. Quod ſi noviſti melius iſtis, candidus imperti; ſin non, his utere mecum.

diſcriminari: contrarium vero nos §. 161. oſtendimus (*a*). Deinde Pictor ignotæ rei imaginem cudere nequit, quippe pennicillus a manu duci, manus autem a propria mente, & juxta ideam depingendi objecti determinari, ac dirigi debet, ſiquidem non eſt natura ſua ad pingendum inſtituta. Hinc profecto eſt, quod niſi Mens pictoris in anteceſſum informata ſit idea depingendi Objecti, non poterit hujus imaginem exprimere. Quod ſi ſupponere velimus, Hominis manum ſuapte natura inſtitutam ad pingendum, tum extrinſecus determinari, ac dirigi in pennicilli ductibus, dubio vacabit, modo hominem iſtum ignoti objecti imaginem expreſſurum. Ita profecto ſe res habet in ſententia noſtra. Vis ſibi cudendi ideas, & quam non immerito vim univerſi repræſentatricem appellare poſſumus, vis eſt Animæ matrix, & primigenia, & qua ipſius natura conſtat: hæc per vim ſenſitivam cietur, ac determinatur a vi fibrarum cerebri ab externis objectis pulſatarum.

§. 165. Malebranchius omnem agendi vim Entibus creatis denegans, Mentibus etiam ademit facultatem ſibi cudendi ideas. Hoc autem potiſſimum argumento rem conficere ſibi ſuaſit.

(*a*) Sed hæc difficultas ipſum premit Auctorem ideas a perceptionibus ſecernentem. Quis enim ignoti objecti expreſſam imaginem intuens, objectum illud in imagine recognoſcere potest? Non magis profecto poterit Mens in idea ſeu imagine ipſi oblata objectum, quod ignorat, recognoſcere; & perpetuo ignorabit cujus ſit objecti imago illa, quæ ipſi obverſatur, niſi aliunde, ſeu extrinſecus moneatur.

Ideæ ſunt veræ realitates: immo ſunt realitates ipſis corporibus nobiliores, quippe ſpirituales. Harum itaque productio nihil diſtat a creatione. Nequit vero Entibus creatis facultas creandi ullo pacto convenire. Nec igitur humana Mens poteſt facultate pollere ideas ſibi cudendi.

§. 166. Equidem ideæ ſunt veræ realitates, at *modales*, ut inquiunt Philoſophi, non *ſubſtantiales*: ſeu ideæ non ſunt totidem ſubſtantiæ, & per ſe ſubſiſtentes, ſed totidem Mentis cogitantis affectiones, ſeu modificationes, cujuſmodi ſunt volitiones, & nolitiones. Cum itaque communi Philoſophorum ſenſu creatio ſit ſubſtantiarum productio ex nihilo: idearum productio toto cælo diſtabit a creatione, & nihil vetabit, eam, Animæ tanquam effectrici cauſſæ, adjudicare. Re quidem vera, ideæ reſpectu Mentis perinde ſe habent ac volitiones, nolitioneſque: utræque enim ſunt ejus modificationes. Si idearum productiva facultas Animæ repugnat, æque pugnabit ipſam ſibi eſſe ſuarum volitionum effectricem cauſſam, eritque Mens crudus, putuſque later. Quod ſi volitiones merito Animæ, tanquam effectrici cauſſæ, tribuendæ veniunt, nihil profecto vetare poteſt, quin eidem adjudicemus facultatem ſibi ipſi cudendi ideas.

ART.

ART. III.

Quædam Philoſophorum placita, quæ idearum ſpectant originem, breviter exponuntur.

§. 167. DE idearum origine communior inter Peripateticos ſententia fuit, *Nihil eſſe in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*: omnes nempe ideas primam petere originem ex ſenſuum miniſterio. Atqui ſententiam iſtam per duplicem intellectum *agentem*, & *patientem* exponebant §. 144.; quæ quidem hypotheſis purum eſt, putumque figmentum a communi abhorrens ratione.

§. 168. Malebranchius de idearum origine ſingularem prorſus ſententiam coluit. Hic ſuo inhærens ſyſtemati, *Mentes etiam nobiliſſimas in ea verſari impotentia, ut nequeant eſſe veræ cauſſæ ullius rei*, commentus eſt, *nihil eas cognoſcere poſſe, niſi Deus illas illuminet* §. 133. Nempe ut alibi (*a*) clarius: *Sciendum eſt, Deum mentibus noſtris præſentia ſua arctiſſime uniri, adeo ut Deus dici poſſit locus ſpirituum, quemadmodum ſpatium eſt locus corporum. Mens itaque in Deo poteſt videre opera Dei, dummodo Deus velit ipſi retegere id, quod in ſe habet, quod illa repræſentat opera*, nempe ideas, quas in ſe habet.

§. 169. Atqui Humanam Mentem omnia in Deo videre, adeo communi ſenſui occurrit, ut ne-

(a) *Rècher. de la verit. l. 3. p. 2. ch. 6.*

nemo Sapientum ſententiam iſtam adunco nor exceperit naſo: nec ſine ratione, etſi injurioſe de eo dictum fuerit, *Ipſe, qui omnia in Deo cernit, haud videt ſe inſanire* (a). Quiſque intelligit, ſententiam iſtam, præter cætera, quidpiam ſtatuere, quod cum Dei bonitate & ſapientia minime congruere poteſt; tum recta ad pantheiſmum ducere.

§. 170. Plures e Carteſianorum familia triplex idearum genus ſtatuerunt: *adventitias*, quæ nimirum Menti occurrunt ex occaſione motionum in organis ſenſoriis excitarum ab externis objectis; *factitias*, quas nempe Mens ſibi cudit ex adventitiis ideis; tandem *innatas*, quas ſcilicet, neque ſenſuum ſubſidio, neque reflexione partas, rentur: ſed a Deo Mentibus noſtris ab ipſo exordio veluti inſculptas, ac perpetuo immanentes arbitrantur.

§. 171. Sed innatas, quas dicunt, ideas, commentitias prorſus eſſe, binis verbis oſtendi poteſt. Vel enim hæ ideæ idem ſunt ac perceptiones, vel formæ & imagines a perceptionibus realiter diſtinctæ. Si primum, inerunt Menti tot perennes, & ſimultaneæ perceptiones, quot ſunt ideæ innatæ; quod profecto interiori experientiæ refragatur. Si alterum, contra faciunt, præter alia, quæ §. 158. monuimus. Deinde nulla eſt ſufficiens ratio, eccur præter adventitias, & factitias ideas, alias, quæ ſint innatæ, agnoſcamus; cum conſtet, nullam omnino

(a) *Lui, qui voit tout en Dieu, ne voit pas, qu' il eſt fou.*

no ideam Menti ineſſe, cujus exordia e ſenſitiva, & reflexiva facultate nequeant quam facile repeti. Vide, ſi lubet, fuſe hæc pertractantem Lockium. *Eſſai philoſ. conc. l'entend. hum.*

CAP. X.

De Animæ humanæ origine.

§. 172. Licet humanæ Mentis natura, ſeu potius genus, philoſophia duce liquido conſtet, ejus tamen origo adeo tenebris eſt circumſepta, ut potius, quid ſentiendum non ſit, quam quod tenere debeamus, intelligere detur.

§. 173. E veteribus Pythagoras docuit, Deum eſſe *Animum per naturam rerum omnem intentum, & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur* (*a*). Huic turpiſſimo errori adhæſiſſe videntur Stoicorum aliqui, ut ex Seneca, & Epicteto diſcimus; eumque jam obſoletum iterum exſuſcitavit Spinoza. Hujuſce ſententiæ abſurditas tam clare patet, ut illam refutare nec operæ pretium duco.

§. 174. Plato, qui inter veteres cæteris rectius de Deo philoſophatus eſt, Animas a Deo conditas docuit, licet eas quaſi partes Animæ Mundi totius habuerit. Id vero Pythagoreis, & Platonicis commune erat, humanas Animas primum aſtra incoluiſſe, & felicem ibi vitam du-

(*a*) Tullius lib. 1. de nat. deor. c. 11.

duxiſſe: hinc vero expulſas, & in humana corpora tanquam in carceres detruſas; quo commiſſi criminis pænas luerent: tum ad aſtra iterum redituras poſt corporum diſſolutionem, ſi mortalem hanc vitam juſte, & ſobrie duxerint, vel in deteriora corpora migraturas, ſi novis criminibus ſe obruerint. Hinc celebris apud iſtos Philoſophos *Metempſychoſis*. Atqui Stoicis nec Animarum incolatus in aſtris, neque earum de corpore in corpus migrationes arridebant; ſed illas poſt terreni corporis fata ad Deum, e quo diſcerptæ erant, iterum redituras aſſerebant.

§. 175. Origenes nimio erga platonicam philoſophiam amore abreptus Pythagoræ & Platonis ſententiam emendare ſtuduit. Docuit itaque, Animas nec Dei emanationes eſſe, nec partes ab Anima Mundi avulſas, ſed a Deo ante corporeum Mundum omnes ſimul conditas fuiſſe cum intelligibili Mundo; *has vero peccaſſe a Conditore recedendo*: *hinc pro diverſitate peccatorum a cælis uſque ad terras diverſa corpora, quaſi vincula, meruiſſe. Et hunc eſſe mundum, eamque cauſſam Mundi fuiſſe faciendi, non ut conderentur bona, ſed ut mala cohiberentur* (*a*). Sed hæc deliria ſunt, quæ nec refutari merentur.

§. 176. Leibnitius, Animarum præexiſtentiæ & ipſe favens, aliter rem explicavit. Putavit nempe, Deum ab ipſo rerum initio omnes Animas creaſſe, ac ſingulas totidem organicis corpu-

(a) *Divus Auguſt.* Lib. XI. *De civitat. Dei* cap. 23.

puſculis inſeruiſſe. Hæc ſunt germina humana, quæ juxta involutorum hypotheſim, olim in Ævæ ovario poſita, e Matribus in filias traducuntur. Sententiam hanc Wolfius ambabus ulnis amplexatus eſt: tum Cl. Carolus Bonnet (a) ſuam fecit. Atqui licet primo adſpectu, quo ab hiſce Auctoribus commendatur, haud philoſopho indigna videatur, ſedulo tamen perpenſa, & ſuas patitur difficultates.

§. 177. Tertullianus, & Apollinaris putarunt, humanas Animas e parentibus in filios per traducem propagari; hoc eſt Animam Filii partem eſſe Animæ patris, quæ filii corpuſculo in matris utero deliteſcenti communicatur, & ineffabiliter conjungitur. Sed iſthæc ſententia cum Animæ natura, quæ ſimplex omnino eſt, & cujuſvis phyſicæ coagmentationis neſcia, nullo modo conciliari poteſt.

§. 178. Communis tandem ſententia, & profecto ſanior, eſt, Animas humanas in dies a Deo creari, & cum tenero fetus corpuſculo copulari, cum iſtud ſufficientem partium evolutionem, & organizationem obtinet, qua par ſit ad præcipuas vitales operationes obeundas.

CAP.

(a) *Paligènèſie philoſoph.*

CAP. XI.

De Mentis Humanæ immortalitate.

§. 179. GRaviſſimum totius psycologiæ argumentum aggredimur, de Mentis humanæ immortalitate acturi. Hæc ſane, Bonos innumeris hujus vitæ fluctibus jactatos erigit: hæc virtutum calcar, & ſpes; hæc in ærumnis quibus undique premimur ſolamen. Tum ea ſublata, quæ morum ſanctitas conſiſtere poſſet? quod Religionis fulcrum?

§. 180. Notio immortalitatis duos includit conceptus, 1. perpetuam Entis durationem, ſeu in exiſtendo continuationem; 2. indeficientem, & perennem conſervationem activarum facultatum, harumque liberum exercitium, quibus ejuſdem Entis naturalis vita continetur. Secunda iſthæc conditio, ut per ſe patet, priori ſuperextruitur, eamque prærequirit. Quod ſi Enti alicui illa prior tantum conditio conveniat, abſit vero hæc ſecunda, Ens illud haud *immortale*, ſed tantum *incorruptibile* dicendum eſt. Ut ergo conſtet humanæ Mentis immortalitas, duo in primis conſtare debent; 1. illam poſt corporis diſſolutionem, & ſuperſtitem fore, & perpetuo duraturam: 2. activas facultates, harumque exercitium, quibus ejus vita continetur, nunquam defuturas.

§. 181. Rurſus humanæ Mentis immortalitas duplici reſpectu conſiderari poteſt; 1. ex ejus na-

natura, & univerſi legibus, ac ordine; 2. ex ſupremi Numinis voluntate. Cum enim humana Mens ſufficientem ſuæ exiſtentiæ rationem in ſua natura non habeat, ſed ex Conditoris voluntate; ejus in æternum perduratio, atque adeo immortalitas, nequit extra omnem dubitationis aleam conſtitui, niſi de Conditoris voluntate illam in æternum ſervandi tuti efficiamur. Ambas itaque argumenti partes expendendas ſuſcipimus.

A R T. I.

Mentem humanam ex natura ſua inſpectam, immortalem, eſſe demonſtratur.

§. 182. I. CUjuſque Entis duratio, tum ex ejus natura, cum ex viribus Univerſi, quibuſcum certas habet relationes, repetenda venit. Quæ Entia ſunt phyſice compoſita, cum conſtent ex partium coagmentatione, evidens eſt, non poſſe in ſuo *eſſe* perdurare, niſi quamdiu ſimplicia elementa, quibus conſlantur, mutuis complexibus copulantur, permanentque in ſuo ordine, & temperatione. Cum porro, certa elementorum temperatio, ac ordo & internis, & externis viribus perturbari queat, immo ipſa elementa diſſociari poſſint; vel alium omnino diverſum nexum ſubire: fit, ut quæ ſunt phyſice compoſita ſint natura ſua corruptibilia, nec de eorum perpetua duratione ullum occurrere queat certum argumentum.

§. 183. Ratio mox allata ſuadet, Entia, quæ ſunt

ſunt phyſice ſimplicia, cum omni careant partium coagmentatione, natura ſua incorruptibilia eſſe; neque adeo perire poſſe, ſeu ab exiſtendo deficere, niſi in nihilum prorſus abeant (*a*). Jam vero Entis annihilatio, neque ex ejus natura, neque ex Univerſi viribus quibuſvis moliri poteſt (*b*). Quæ ſunt ergo Entia ſimplicia nec natura ſua, nec quibuslibet Univerſi cauſſis interire poſſunt.

§. 184. Quæ cum ita ſint, liquido conſtat, Humanam Mentem, ſimplex omnino ſubjectum, nullamque prorſus partium coagmentationem habens, nec natura ſua, nec viribus quarumvis cauſſarum hujus Mundi interire poſſe: atque adeo illam perpetuo duraturam. Audi ut eleganter Cicero (c): *In Animi autem cognitione du-*

(*a*) Id equidem per ſe patet; ſed juvat illuſtrare. Remaneat, ſi fieri potest, aliquid poſt interitum Entis phyſice ſimplicis. Id quod remanet vel eſt pars ejus, quod periit; vel aliud quidpiam omnino diverſum, in quod transformatum ſit illud Ens, quod periiſſe ſupponimus. Primum eſſe nequit, quia Ens quod perire ſupponimus, eſt phyſice ſimplex, nullas habens partes. Alterum vero non periiſſe adſtruit; utut enim novas qualitates extrinſecas ſuſceperit, ſimplex illud ſubjectum adhuc permanet.

(*b*) Annihilatio creationi, & conſervationi e diametro opponitur. Illa ergo Cauſſa ſolum poteſt aliquod Ens annihilare, quæ illud creavit, & perenni actione conſervat. Sed hujuſmodi eſt tantum Deus: omnes Univerſi Cauſſæ ſunt contingentes, quæ nec ſuæ exiſtentiæ, & conſervationis ſufficientem in ſe habent rationem. Facultas igitur quidpiam annihilandi nequit ulli naturalium cauſſarum convenire.

(c) *Lib. I. tuſc. qq. c. 39.*

dubitare non poſſumus, niſi plane in phyſicis plumbei ſumus, quin nihil ſit Animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex; quod cum ita ſit, certe nec ſecerni, nec dividi, nec diſcerpi, nec diſtrahi poteſt, nec interire igitur. Eſt enim interitus quaſi diſceſſus, & ſecretio, ac diremptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.

§. 185. II. Anima corporis ſolutioni ſuperſtes ſuas activas facultates, harumque exercitium, quibus ejus vita continetur, nunquam erit amiſſura. Sane cogitandi, & libere volendi facultates ad interiorem Animi naturam ſpectant. Tamdiu ergo facultates iſtæ in Anima perſeverabunt, quamdiu ipſa permanebit. Sed, quia ſimplex, & incorruptibilis, permanebit perpetuo. Perpetuo igitur activas facultates cogitandi, & libere volendi Mens poſt diſceſſum a corpore retinebit. Deinde cum facultates iſtæ ejus ſint generis, ut interius in ipſa Anima ſe exerant, non exterius; patet quoque, earum exercitium penes Animam liberum permanere. Et ſane, ſicuti nulla vi in univerſa Natura poſita fieri poteſt, ut Anima e corpore ſejuncta pereat, ita nullius oppoſitione fieri poterit, ut illæ facultates ab ea decidant, corrumpantur, pereant, aut otioſæ fiant. Entium enim ſimplicium naturæ mutuis conflictibus corrumpi ac decidere nequeunt, ejus tantum actiones ad ſummum modificari poſſunt. Igitur humanam Mentem immortalem eſſe ex ipſa ejus natura, nihil eſt, quod dubitare valeamus.

§. 186. Sed inquient: Quouſque Anima in corporis domicilio degit, ejus cogitandi facultas nunquam ſe exerit, niſi determinatæ motiones fibrarum cerebri ſingulas cogitationes vel præveniant, vel comitentur; hinc ſane eſt, ut cogitandi facultas ſemper corporis ſtatui attemperetur. Quare videtur Anima ſine corporis ſocietate facultatem cogitandi exercere haud poſſe; atque adeo in ſtatu ſtuporis remanſura, neque ſui conſcia. Quod cum ita ſit, nullo pacto immortalis cenſenda eſt.

§. 187. Sed nullum iſthæc habent pondus. Cogitandi facultas ab ejus exercitio, quod Anima adhuc in corpore degens obtinet, ſecerni debet. Illa Animæ intrinſeca eſt, ad ejus ſpectans naturam, neque ullo pacto a corpore pendens: iſtud vero ex lege commercii a ſupremo Auctore ſancita corporis ſtatui attemperatur, quouſque Anima in corpore degit, nec non juxta fibrarum commotiones ad peculiaria objecta ſive determinatur ſive dirigitur. Cum ergo e corporis domicilio Anima migrat, terreni corporis pondere, & vinculo exſoluta, multo liberius, multoque efficacius ſuam cogitandi facultatem exercebit, ſive ſeipſam intimo ſenſu contemplando, ſive vim univerſi repræſentativam interius ciendo, ſive externa, & ſenſibilia in ſeipſis percipiendo. *Ea profecto tum multo puriora, & dilucidiora cernentur, cum quo Natura fert, liber Animus pervenerit: nam nunc quidem, quanquam foramina illa, quæ patent ad Animum a corpore callidiſſimo artificio natura fabricata eſt, tamen terrenis, concretiſque corpo-*

poribus ſunt interſepta quodammodo: cum autem nihil erit præter Animum, nulla res objecta impediet, quo minus percipiat quale quidquam ſit. Ita eleganter Tullius tuſc. qq. l. 1. c. 20. (*a*)

ART. II.

Mentem humanam ex ſui Conditoris voluntate inſpectam immortalem eſſe, naturali ratione aſſeritur.

§. 188. HUmanam Mentem natura ſua incorruptibilem atque immortalem eſſe, neque ullis naturalibus cauſſis fieri poſſe ut pereat, jam evicimus. Hæc ratio ingenue philoſophanti ſatis foret, quominus de ſupremi Conditoris voluntate, illam immortalem ſervandi, non ambigeret: nullum enim in univerſa Natura occurrit annihilationis exemplum; nec quidpiam eſt, quod a ſummo Conditore

 non

(a) Plures ex antiquioribus Philoſophis, & ex ipſis Eccleſiæ Patribus, quibus incorporalitatis, & immortalitatis Animorum dogma probatum erat, opinati ſunt, humanas Mentes nunquam omni corpore vacare: ut adeo, cum ex iſthoc craſſo, & corruptibili corpore diſſolvuntur, adhuc leviſſimum, ac tenuiſſimum, ſive æthereum, & incorruptibile corpus geſtent, eoque ſint perpetuo amictæ. Sententiam hanc inter Recentiores ſuam fecit Cl. Vir Carolus Bonnet, & communivit non contemnendis rationibus: quam, cum in pluribus locis, tum præſertim parte XVI. *paligèneſie philoſ.* expoſuit. Si quis in hanc ſententiam deſcendere velit, & Adverſariis morem geret, & una ſimul objectam difficultatem elevabit.

non ſervetur juxta propriam naturam, & ad ſuos non dirigatur fines. Atqui profani homines, eam non ſatis eſſe, contendunt, nec non doloſe effutiunt, Animæ immortalitatem problema eſſe, quod nequeat ſola philoſophia extricare: ad Divinam revelationem idcirco confugiendum neceſſario eſſe, ut conſtare queat, Deum poſt corporis obitum nolle humanam Mentem delere, ſed velle in æternum ſervare.

§. 189. Ut iſtorum levitatem perſtringamus, animadvertant Tyrones, quod quandoque etiam abſque revelationis face, ſed ſola naturali ratione Divina Voluntas nobis conſtare poteſt. Etenim ſicut naturali ratione plura nobis patent Divina attributa, ita conſtat quoque, non poſſe Divinam Voluntatem ab illis attributis vel minimum deſciſcere, ſed iis plane conformem perpetuo eſſe debere. Si adeo quidpiam Divinis attributis repugnare clare noſcimus, tuto poſſumus decernere, Deum nunquam id velle: & e contrario perpetuo velle ea, ſine quibus ſarta tecta conſiſtere eadem attributa non poſſunt. Hujuſmodi porro eſt immortalitas Animorum, quos ſi poſt corporum diſſolutionem Divina Voluntas deleret, nequiret Dei Sapientia, Bonitas, Juſtitia, ac Providentia ſarta tecta permanere. Rem expendamus.

§. 190. I. Naturali ratione pleniſſime noſcimus, potiſſimam Sapientiæ legem eam eſſe, ut ſingulorum Entium Naturæ ſuis exacte attemperentur finibus, ut ita nec a præſtituto fine deficiant, nec ultra redundent, vel extra vagentur. Quare ſicuti ex noto fine, de Entium

na-

natura ad illum finem accomodata tuto dijudicare poſſumus, ita e converſo, ex nota Entium natura finem illis præſtitutum ediſcere datur. At humanas Mentes immortalem naturam ab Auctore ſuo ſortitas eſſe, jam ſuperius evicimus. Ad immortalitatem ergo ab Auctore ſuo conditas eſſe, atque adeo in æternum ab eo ſervandas, ambigere nemini licet. Finge non ſervaturum; inſcienter ergo ſe geſſit, cum eas immortalis naturæ condidit. Si hoc nefas eſt; ac ſtultum aſſerere; conſtare debet, Deum voluiſſe Humanas Mentes in æternum victuras, cum eas natura ſua immortales genuit. At vero eaſdem a corporibus diſſolutas poſitiva voluntate poſtmodum interimere, & in nihilum redigere, levitatis ac pœnitentiæ luculentiſſimum eſt argumentum. Quod rurſus cum nefas ſit, ac ſtultum cogitare, naturali ratione edocemur, Deum perpetuo ſervaturum Animas poſt corporum diſſolutionem.

§. 191. II. Divinæ Sapientiæ adjiciamus Bonitatem. Humana Mens ejuſmodi naturam a ſuo Conditore ſortita eſt, ut & maximopere perfectibilis ſit, & ſuæ perfectionis cupidiſſima: nec non felicitatis undique completæ capax effecta eſt, & hujus ſtudioſiſſima. Hæc inter explorata poſita ſunt. At Nemo eſt qui non ſentiat, humanam Mentem, quamdiu mortalem hanc vitam ducit longe diſtare a ſua completa perfectione, & felicitatem, quam ardentiſſime cupit, haud conſequi poſſe. Vel ergo poſt hanc mortalem vitam altera ſupereſſe debet, in qua & ad ſuam perfectionem properabunt Mentes,

& nunquam interituram felicitatem conſequentur; vel Deus noſtræ naturæ Auctor nec ſapiens nec bonus, & nobis illuſit, & ad miſeriam genuit: quippe facultates nobis indidit perfectibiles, quæ in præſenti rerum ſtatu nequeunt longiſſime non abeſſe a ſua perfectione, & felicitatem nobis propoſuit, quam nunquam conſequi valeamus. Atqui Deus naturæ Auctor nihil fruſtra molitur, & nequit ſuarum creaturarum non velle maximam illam felicitatem, & perfectionem, cujus capaces condidit. Præſens igitur vita, ex Divinæ Sapientiæ ac Bonitatis præordinatione, veluti aditus quidam ad alteram indeficientem & æternam haberi debet, in qua & completam conſequantur Mentes felicitatem, & illa potiantur perfectione, quam earum Natura expoſtulat. Atque ut exemplo utamur: in præſenti rerum ſtatu Homo velut eruca haberi debet, qui terrenas has exuvias aliquando deponens, in papilionem abibit, aſſumetque ſtatum perfectum.

Verum enim vero, ut perſpecte agnovit ipſe Auctor Emilii *l. 3. p. 79.*, immortalitatis, & completæ felicitatis ideam Deum nobis dediſſe, & utriuſque naturali impetu avidiſſimos effeciſſe, quid eſt aliud, quam ad immortalitatem, & completam felicitatem nos genuiſſe, & veluti arram præbuiſſe? (*a*) Equidem

(a) Hinc profecto eſt tacitus ille naturæ ſenſus nobis immortalitatem adjudicans, & futurorum ſeculorum augurium præbens, quem non immerito dixeris naturalem

dem niſi res ita ſe haberet, Deus nobis vehementer illuſiſſet, & poſitiva voluntate miſeros condidiſſet.

S 4 §. 192.

ſupremi Numinis revelationem. Audi ut hæc eleganter proſequitur Romanus Philoſophus *tuſc. qq.* c. 12. *Maximum argumentum eſt, naturam ipſam de immortalitate Animorum tacitam judicare, quod omnibus curæ ſunt, & maxime quidem, quæ poſt mortem futura ſint: ſerit arbores, quæ alteri ſeculo proſit, ut ait Statius in Synephebis: quid ſpectans, niſi etiam poſtera ſecula ad ſe pertinere? Ergo arbores feret diligens agricola, quarum adſpiciet baccam ipſe nunquam: Vir magnus leges, inſtituta, rempublicam non ſeret? Quid propagatio nominis? Quid adoptiones filiorum? Quid teſtamentorum diligentia? Quid ipſa ſepulcrorum monumenta? Quid elogia ſignificant, niſi nos futura etiam cogitare?... Quid in hac republica tot, tantoſque viros ob rempublicam interfectos cogitaſſe arbitramur? iiſdem ne ut finibus nomen ſuum, quibus vita terminaretur? Nemo unquam ſine magna ſpe immortalitatis ſe pro patria offerret ad mortem: licuit eſſe otioſo Themiſtocli, licuit Epaminondæ, licuit, ne & vetera, & externa quæram, mihi; ſed neſcio quomodo inhæret in mentibus quaſi ſeculorum quoddam augurium futurorum; idque in maximis ingeniis, altiſſimiſque animis & exiſtit maxime, & adparet facillime: quo quidem dempto, quis tam eſſet amens, qui ſemper in laboribus, & periculis viveret? loquor de principibus: quid poetæ? nonne poſt mortem nobilitari volunt? Unde ergo illud?*

Aſpicite o cives! Senis Ennii imagini' formam;
Hic veſtrum panxit maxima facta patrum.

Mercedem gloriæ flagitat ab iis, quorum patres affecerat gloria, idemque,

Nemo me lacrimis decoret, nec funera fletu
Faxit: Cur? Volito vivu' per ora virum.

Sed quid poëtas? Opifices poſt mortem nobilitari volunt: quid enim Phidias ſui ſimilem ſpeciem inculſit in-

§. 192. IV. Ad Divinam ſpectat Juſtitiam, atque Providentiam hominum virtutes muneribus ac præmiis ex merito cumulare: ſicut e contrario condignis pœnis eorum flagitia corripere. Eſt enim duplex in Univerſo Ordo: *phyſicus* nempe, ac *moralis*; & ad utrumque Homines procul dubio ſpectant. Si quis hæc in controverſiam adducit, peſſime ſe de Deo ſentire oſtendit, quaſi hic cardinem cæli ambulet, & noſtra non conſideret: & in *atheiſmum* ſive prolapſum eſſe, ſive jam jam prolabi. Sed experientia teſtante, hominum virtutes, ac flagitia admodum raro condigna præmia ac pœnas conſequuntur: ut adeo vetus ſit quærela, *lætos diu florere nocentes, vexarique pios*. Divina ergo Juſtitia ac Providentia utique expoſtulant, poſt corporum obitum Mentes adhuc ſervari in vitam, in qua bene vel male factorum præmia recipiant, pœnaſve luant. Hæc cum naturali conſtent ratione, concludere non dubitamus, naturali quoque ratione conſtare ſummi Conditoris voluntatem de humana Mente in æternum ſervanda.

§ 193.

---

in clypeo Minervæ, cum inſcribere non liceret? Quid noſtri Philoſophi? Nonne in his ipſis libris, quos ſcribunt de contemnenda gloria, ſua nomina inſcribunt? Quod ſi omnium conſenſus naturæ vox eſt, omneſque, qui ubique ſunt, conſentiunt eſſe aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita ceſſerint: nobis quoque idem exiſtimandum eſt: & ſi quorum aut ingenio, aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima ſunt, cernere naturæ vim maxime: veriſimile eſt, cum optimus quiſque maxime poſteritati ſerviat, eſſe aliquod, cujus is poſt mortem ſenſum ſit habiturus,

§. 193. V. Huc tandem adcedit omnium populorum conſenſio, quæ ſive ex Naturæ ſenſu, ſive ex veteri & communi traditione, ſive lex rationis ſuffragio ſuam originem habuiſſe ponamus, utique vox Naturæ, ſeu naturalis revelatio Dei ipſius putanda eſt. Atque merito Tullius, *permanere Animos arbitramur conſenſu nationum omnium* (a). Tum Seneca, *cum de Animorum æternitate differitur, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum aut timentium inferos, aut colentium* (b). Et Macrobius vetuſtioris ſapientiæ ſtudioſiſſimus, ac diligentiſſimus inveſtigator: *obtinuiſſe jam non minus de incorporalitate Animæ, quam de ejus immortalitate ſententiam* (c). Hujus perſuaſionis cum nulla origo inveniri poſſit, ea quidem ab omni fuit antiquitate, *quæ quo propius aberat ab ortu, & divina progenie, hoc melius ea fortaſſe, quæ erant vera, cernebat* (d).

Finis Pſychologiæ.

ME-

(a) *Tuſc. qq. l.* 1. *c.* 16.
(b) *Epiſt.* 117.
(c) *In ſomn. Scip. l.* 1. *c.* 14.
(d) *Tullius loc. cit. c.* 12.

METAPHYSICARUM INSTITUTIONUM

PARS QUARTA

IN NATURALEM THEOLOGIAM PROLEGOMENA.

§. 1. Dei nomine intelligimus Mentem naturæ ſuæ neceſſitate exiſtentem, atque adeo æternam, intelligentiſſimam, ab omni materiali concretione ſejunctam, perfectiſſimam, effectricem & liberam Univerſi Cauſſam, & omnia providentem.

§. 2. Equidem Dei notio ſub conceptu primæ Cauſſæ efficientis Mentibus noſtris primum occurrit; hanc poſtmodum rectæ rationis ope rimantes prolatamus, & attributis, quæ omnimodam continent perfectionem, locupletamus. Atqui tantum abeſt, nos adæquatam adſequi poſſe Dei notionem, eamque verbis exponere, quantum finitum inter, & infinitum intercedit. Qui verbis complectemur, quem natura ſua & eſſentia undequaque infinitum nulla creata Mens comprehendere valet? Hinc ingenue fatendum, nul-

nulla definitione Dei naturam contineri poſſe. (*a*)

§. 3. Facultas, quæ Dei exiſtentiam, ejusque attributa rimatur, *Theologia* audit, quæ in *naturalem*, & *revelatam* diſpeſcitur. Prima de Deo diſſerit quantum naturali ratione adſequi poſſumus. Secunda revelationis face myſteria pandit, quæ ultra naturalem rationem ſunt poſita. Priorem heic perſequemur, quippe quæ ſola ad Philoſophos ſpectat.

§. 4. Nobiliſſimam vero, ac jucundiſſimam hanc eſſe totius Metaphyſices partem, nullus ambigere poterit. Quid enim præſtantius, quidve jucundius, quam rerum omnium Opificem, præſentiſſimum totius Univerſi Moderatorem, ac noſtri præſertim Parentem optimum contemplari? Si quod ex cæteris diſciplinis ſolatium, atque in adverſis perfugium, in ſecundis rebus animi moderamen, & ornamentum capere poſſumus; iſthæc profecto omnia ex ea potiſſimum uber-

(a) Merito Thales Mileſius, ut Tertullianus refert, a Creſo quæſitus, quid eſſet Deus, post multas & multo studio perquiſitas reſponſiones, faſſus est tandem, ſe nihil adcurate, quod ad rem quadraret, dixiſſe. Idem de Simonide testatur Tullius de nat. Deor. l. 21. *Roges me, quid, aut quale ſit Deus? Auctore utar Simonide: de quo cum quæſiviſſet tyrannus Hiero, deliberandi cauſſa ſibi unum diem poſtulavit. Cum idem ex eo poſtridie quæreret, biduum petivit. Cum ſæpius duplicaret numerum dierum, admiranſque Hiero requireret, cur ita faceret: Quod quanto, inquit, diutius conſidero, tanto mihi res videtur obſcurior.* Hinc perſpecte monuit divus Augustinus, nihil, quod de Deo accuratius prædicemus, nobis occurrere poſſe, niſi quod incomprehenſibilis ſit.

uberrime conſequi poſſumus, quæ omnium Largitorem bonorum, rerum omnium Inſpectorem, & Proviſorem optimum pandit, & in quo nos eſſe, vivere, & moveri edocet. Tum nihil ea utilius in univerſa vita civili: nequeunt enim ſine legibus, & religione in officio cives contineri. Sed nulla legibus ſanctitas, ac nulla vis conſiſtere poteſt, nulla moribus probitas, ac juſtitia, nulla denique religio, niſi ſupremum adeſſe Numen agnoſcamus, omnia providentem, cogitantem, & animadvertentem Deum.

§. 5. *Atheus* appellatur qui Deum ſive ignorat, ſive fateri renuit. Eſt ergo duplex *Atheiſmus*, *negativus* alter, alter *poſitivus*. *Atheiſmus negativus* eſt omnimoda Dei ignorantia, quæ vel ex rationis imbecillitate, ſicuti in infantibus, vel ex Animi ſtupiditate, & dementia, oriri poteſt *Poſitivus* vero eſt eorum ſtulta ſententia, qui adductis rationibus Deum ſive negant, ſive in dubium revocant.

§. 6. Naturalem Theologiam pertractaturi, I. Dei exiſtentiam invictis rationibus adſtruemus, & a præcipuis Atheorum cavillationibus vindicabimus. II. Ejus præcipua attributa expendemus.

CAP.

CAP. I.

Deum exiſtere invictis rationibus demonſtratur, & Atheorum præcipuæ cavillationes diſpelluntur.

§. 7. TRiplici argumentorum genere Dei exiſtentiam contra profanos homines vindicare, moris eſt apud Metaphyſicos. Horum alia a notionibus Entis contingentis, & neceſſarii fluentia, *metaphyſica* dicta ſunt; alia vero *phyſica*, quippe quæ ex ordine, & arte nunquam ſatis admiranda, qua adſpectabilis Mundus conſtat, deſumuntur: alia tandem *moralia*, quæ hominum, immo populorum omnium, quacunque patet Tellus, communi ſuffragio ſuperſtruuntur, nec non Nationum hiſtoriæ. Quod ad phyſica ſpectat argumenta, ſatis ſunt quæ in Coſmologia contra Democritum, Epicurum, horumque recentes aſſeclas diſputata ſunt: inſtitutiones enim condimus, nec proinde fas eſt, ſingula minutatim perſequi. *Metaphyſica* igitur argumenta, & *moralia* breviter, ſed nervoſe heic attingemus.

ART. I.

Deum exiſtere metaphyſice demonſtratur.

§. 8. MEntem humanam exiſtere, ſubſtantiam ſcilicet cogitantem, ſimplicem,

cem, liberam, nullus, nec Idealiſta ſuæ conſcientiæ teſtimonio revictus, ambigere poteſt. Sed idem conſcientiæ teſtimonium pleniſſime edocet, humanam Mentem ſubſtantiam eſſe contingentem, quæ nimirum nullam in ſeipſa ſuæ exiſtentiæ habet ſufficientem rationem. Cum ergo repugnet ex nihilo aliquid fieri *ont.* 114., tum repugnet cauſſarum in infinitum progreſſus abſque ulla prima, & independente Cauſſa *ont.* §. 121., tum pugnet plus eſſe in effectu, quam in cauſſa *ibid.* §. 120., ponere cogimur, niſi humanæ rationi valedicere velimus, Mentem aliquam æternam, & improductam exiſtere vi, & neceſſitate ſuæ naturæ, quæ Mentis humanæ ſit Cauſſa effectrix.

§. *9.* Si quæ unquam in tota philoſophia propoſitiones occurrunt, quæ evidentia conſtant, & demonſtratione, equidem hujuſmodi præſertim ſunt ſingulæ illæ, quæ allatam demonſtrationem complectuntur. Juvat vero aſſumptam minorem latius expendere. Quicumque, qua par eſt attentione ſuum animum conſulit, nullum in eo *aſeitatis* vel minimum indicium deprehendit. Num ne Animum ſibi conſcium nobiliſſimam in primis, & potiſſimam *aſeitatis* perfectionem, qua ſua conſtaret natura, latere poſſet? Atqui ipſa hæc ſui ignoratio, qua Animus noſter laborat, cum *aſeitate*, quæ naturam, cui ineſt, perfectiſſimam conſtituit, apertiſſime pugnat. Mentem itaque humanam *aſeitate* carere, nullo pacto dubitare licet. At præterea luculentiſſima, & perpetua nobis occurrunt argumenta, quæ nos noſtræ contingentiæ, & imbecil-

cillitatis pleniſſime revincunt. Nimirum rerum ignorantia, qua Animus noſter obruitur; modica intelligentia, ſuique ipſius inadæquata cognitio; Errores, in quos volens nolens ſæpiſſime illabitur; Voluntatis incoſtantia, affectuumque impetus, atque perverſitas, quibus ſæpiſſime tranſverſim agitur; naturalis impotentia appetitus, viriumque ſumma infirmitas; dolorum tandem, ac voluptatum perpetuo permixta ſeries, neminem dubitare ſinunt ſuæ contingentiæ, ac precariæ exiſtentiæ.

A R T. II.

Dei exiſtentia morali demonſtratione vindicatur.

§. 10. MEntem aliquam æternam vi & neceſſitate ſuæ naturæ exiſtentem, quæque Univerſi ſit Cauſſa effectrix, adeo apertiſſime ratione, & natura duce cognoſcimus, ut nulla unquam Gens fuerit neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ etſi ignorarit qualem Deum habere deceat, tamen non habendum ſciverit. Hanc perennem Gentium omnium quacumque patet tellus conſenſionem, immenſa pene eruditione ad ſeverioris critices trutinam exacta, extra omnem dubitationis aleam poſuere Viri quamplures eximii de re litteraria valde meriti. Sufficiat nobis datum iſtud ex ipſis Adverſariis ſumere, quo noſtrum adornemus argumentum. I. Lucilio Balbo Divinitatis exiſtentiam adſtruenti ex omnium Gentium conſenſu quid reponit Cotta Accademicus? *Equidem*

dem arbitror, inquit, *multas eſſe gentes ſic immanitate efferatas, ut apud eas nulla ſuſpicio deorum ſit Cic. de nat. deor. c.* 23. Arbitrari ſe, non noviſſe, aut fando ſaltem intellexiſſe, repoſuit. Nullas propterea tunc temporis innotuiſſe Gentes ſine Divinitatis perſuaſione, tacite fatetur. II. Lucianus, acerrimus equidem Divinitatis, & cujuſvis religionis oſor, in dialogo, cui titulus *Juppiter tragædus*, diſputantem inducit Timoclem religionis cauſſam, & aſſerentem Gentium omnium hac de re conſenſum: at quid Timocli reponit Damides, ſub cujus nimirum nomine Lucianus latet? Conſtantiſſimam, perennemque gentium conſenſionem ſibi objectam ne carpit quidem; ejus tantum vim ad demonſtrandum, & perſuadendum elevare conatur adductis futilibus omnino excogitatis, quæ mox exſufflabimus. Si quas Gentes exleges, & a religione extorres Lucianus noviſſet, aut fando audiviſſet, num ne ſcirpum in ovo ſimulaſſet? illas profecto objeciſſet, cum nihil hoc opportunius ad extenuandum Timoclis argumentum afferri potuiſſet. Atqui in diverſa abit Lucianus; dat ergo quod aſſeveramus, nullum unquam hominum genus Divinitatis notitia caruiſſe. Adeo nimirum Eruditis quibusque innotuit, quod Plutarchus elegantiſſime contra Colotem diſputabat: *Si univerſam peragraveris terram invenire quidem poteris urbes sine mœnibus, sine litteris, sine regibus, abſque tecto & divitiis, abſque nummis, theatris, gymnasiis. At urbem sine templis, & sine Diis, quæ precibus, & jurejurando careat . . . nemo vidit, nec vidit unquam.* §. 11.

§. 11. Quantum vero ponderis ad demonſtrandum, & perſuadendum univerſali Gentium omnium conſenſui tribuendum ſit, in Logica aperuimus. Re quidem vera, ea eſt hominum indoles, & ingeniorum conſtitutio, ut, ſi de re vel minimum obſcura, dubiaque judicium ferre debeant, tot fere numerentur ſententiæ, quot capita: id quod totius humani generis, ſed & præcipue philoſophantium hiſtoria edocet. Si itaque quandoque omnes Gentes quacumque tellus patet, omneſque Sectas, licet in cæteris admodum diſcrepantes, convenientes omnes ad unam deprehendimus; id, in quo conveniunt, vel communis naturæ ſenſum, vel naturalis rationis evidentiſſimum præceptum, habere debemus. Eſt vero omnium ubique Gentium univerſalis & perennis ſententia, aliquem eſſe rerum omnium Opificem, & Rectorem. Deum ergo exiſtere, inter prima humanæ rationis ſcita, vel potius ad communem naturæ ſenſum referri debet. Ad rem noſtram elegantiſſime Balbus apud Tullium *l. cit.* c. 2. *Quid enim eſt hoc evidentius? Quod niſi cognitum, comprehenſumque animis haberemus, non tam ſtabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum ſæculis, ætatibuſque hominum inveterare potuiſſet. Etenim videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuiſſe . . . . Opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.*

§. 12. Neque ſcrupulum faceſſat Tyronibus, I. quod quandoque penes hiſtoricos athearum Gentium mentio occurrat. II. quod inſignes ex

Veteribus Philoſophi inter Atheos recenſeantur; uti ex. gr. Anaxagoras, Diagoras, Protagoras Anaximander &c., quæ ſi vera ſunt, haud conſtare videtur univerſalis humani Generis conſenſus de Supremi alicujus Numinis exiſtentia.

Hæc equidem nullius ſunt momenti. I. Hiſtorici etenim græci, & latini, dum Africanas, aut Aſianas quaſdam Nationes inviſerent, nec templa, idola, immenſumque externarum cæremoniarum apparatum habere animadverterent, velut quæ antiquo more ſub dio, & ſine ulla pompa Deo ſacrificarent, quemadmodum de vetuſtis Parthis retulit Herodotus, in eam venerunt ſuſpicionem; nullos ab iis Deos coli. Quid quod iidem Hiſtorici idem fecerunt cum Judæis, & Chriſtianis? Accedit eodem, veteres mercatores, alioſque itineratores aut inſcios morum earum Gentium de quibus ſcribunt, aut non ſatis peritos, ut pretium ſuis mercibus, ſuiſque itinerariis adderent, atheiſmi, & irreligionis infamia illas præpropere notaſſe; quæ deinde portentoſæ fabellæ novitatis amore, ut fit, creditæ ſunt. Hujuſce rei exemplum temporibus prope noſtris de Huttentottis habemus. Hi primum pro Atheis in Europa vulgati ſunt, & habiti: at ſummum illos agnoſcere Deum, teſtatur Andreas Kolbi in hiſtoria ejus nationis, quacum decem annis familiariter uſus eſt. (a)

II. Philoſophi veteres, qui inter atheos reputati ſunt

(a) Conſulatur Johannes Albertus Fabricius in Apologia Generis humani adverſus accuſationem atheiſmi.

ſunt, nonniſi ſumma injuria hanc paſſi ſunt infamiam. Conſtat, Anaxagoram atheum eſſe habitum, quod Solem e Deorum numero expunxerit, & ignitum habuerit ſaxum. Conſtat, Socratem de Divinitatis natura præ cæteris bene ſentientem, ſumma invidia, & lethali calumnia atheiſmi accuſatum, cicutam bibiſſe. *Protagoras*, inquit Tullius l. 1. de nat. deor. c. 23. *cum in principio ſui libri sic poſuiſſet. De diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere, Atheniensium juſſu urbe & agro eſt exterminatus, librique ejus in concione combuſti*, quippe atheus reputatus eſt. Atqui, ut patet, Protagoras de diis, qui a plebe venerabantur, vulgo autem Philoſophis, qui præjudicatis opinionibus haud tenebantur, deſpectui erant, loquitur; non de Divinitate, ſeu de Deo ſummo rerum Opifice. Idem de aliis dicas: ſolum Epicurus inter atheos recenſendus videtur, etſi de Epicureis nihil certo conſtet, quippe Tullius l. cit. c. 30 ita habet, *novi ego Epicureos omnia sigilla venerantes*. Jam vero quilibet, cui cor ſapit, optime intelligit, hujuſce gregis opinionem, etſi indubie Divinitati averſam fuiſſe ponamus, nihil communem perennemque humani Generis ſententiam labefactare poſſe. Sicuti enim in Mundo phyſico peculiaria quædam monſtra quandoque occurrunt, quæ nihil de ordine totius detrahunt: ita ſimiliter in Mundo morali fieri poteſt. Igitur inter opinionum monſtra, & febrientium deliramenta iſthæc Epicureorum ſententia reponenda eſt, quæ nihil de communi humani Generis ſenſu detrahere poteſt.

§. 13. Allati ſuperius §. 10. argumenti vim non fugit profanos homines; hinc omnes intendunt nervos ed eam elevandam. Quare operæ pretium eſt, quæ objiciunt potiora, referre, & explodere. Inquiunt itaque

I. Si ex Gentium conſenſu aliquid confici poſſet, equidem potius conficeretur, polytheiſmum eſſe profitendum: nam huic cœno omnes infixæ fuerunt. Atqui nihil magis Dei naturam, quam polytheiſmus, evertit. Quare neque Dei exiſtentia ex Gentium conſenſu adſtrui poteſt. Deinde quot quantæque & Gentium, & Philoſophorum diſcrepantes de Divinitate opiniones? *Qui deos eſſe dixerunt*, inquit Tullius, *tanta ſunt in varietate, ac diſſentione, ut eorum moleſtum ſit dinumerare ſententias*.

II. Hujuſce conſenſus origo petenda eſt ex naturalium phænomenorum timore; quo perculſi hominum Animi, quoddam terrificum Numen, ſupremamque Virtutem illa phænomena producentem, ſibi effinxere:

Primus in orbe deos fecit timor, ardua cælo
Fulmina cum caderent . . .

Petr. in ſat.

Ad hunc adceſſit naturalium cauſſarum ignorantia

. . . . *propterea quod*
Ignorantia cauſſarum conferre Deorum
Cogit ad imperium res, & concedere regnum: &
Quorum operum cauſſas nulla ratione videre
Poſſunt, hæc fieri divino numine rentur.

Lucr. l. 6. v. 52.

III. Alias

III. Alias Divinitatis notio ex Legumlatorum calliditate conficta, & populis inculcata. Nempe quo iſti facilius populos legum jugo ſubmitterent, & in officio continerent, Deorum numine illas leges conſcriptas eſſe, ſibique concreditas tradiderunt. Ita Livio teſte, Numas Pompilius nocturnos congreſſus cum Dea Egeria commentus eſt, ejuſque numine ritus diis gratiſſimos ſanxiſſe. Eamdem adhibuerunt artem Ligurcus, Minos, aliique. Conſenſus ergo Gentium, ita concludunt profani homines, in Divinitatis adſtruenda exiſtentia, nullius eſt ponderis.

§. 14. Ad primum reſpondemus. I. Licet concedere quis vellet, omnes Gentes polytheiſmi cœno volutas, nullo tamen pacto confici poſſet, polytheiſmum profitendum eſſe. Ut id concedi poſſet, demonſtrandum foret, omnes ad unam Gentes eoſdem & numero, & ſpecie Deos, & perenniter cognoviſſe: hi enim ſunt veri characteres perennis & univerſalis conſenſus, quem naturæ ſenſum, & veritatis vocem eſſe autumamus. At vero Gentes omnes nec ſibi unquam convenerunt, nec quælibet ſibi perpetuo conſtitit, quot, qualeſve Dii eſſent colendi: ergo nonniſi perperam conficitur, polytheiſmum Gentium conſenſione firmari. Itaque Polytheiſtæ plures, diverſoſque deos agnoſcentes, Divinitatis declarant exiſtentiam, quippe de qua omnes conveniunt; at vero ſibi invicem contradicentes, tum in numero, tum in ſpecie, & natura deorum, ſeipſos fanatiſmi arguunt, ſuoſque deos

ſua eſſe commenta declarant. (a) Si Phyſicos de corporum eſſentia, atque natura diſputantes audiamus, non unas numerabimus, nec ſine moleſtia diſcrepantes ſententias. Quid? num ne iſti de corporum exiſtentia dubitant? Minime profecto; exiſtentiam corporum niſi perſpectam exploratamque haberent, tot non inſtituerent de eorum eſſentia, & natura perpetuas concertationes; jam vero, diſcrepantibus ſententiis, ſatis clare innuunt, harum nullam certo ſtare talo. Sane non heic quærimus, quam recte homines de Deo ſentiant, ſed ſentiant quidquam, nec ne. Hæc duo miſcent Adverſarii non ſine Logicæ imperitia, quæ ſunt omni procul dubio ſecernenda. Quum poſtremum conſtet inter omnes, invictum eſt argumentum, cur Deum eſſe credamus. Ignorarunt enim vero, & turpiter hallucinati ſunt, qualis eſſet habendus, habendum tamen omnes conſtanter tenuere.

II. Atqui nonniſi ſumma in Veteres injuria, vel ſaltem ſumma hiſtoriæ imperitia affirmant Adverſarii, omnes ad unam Gentes polytheiſmi cœno infixas. Nam 1. valde probabile eſt, polytheiſmum, & idololatriam antiquiorem non fuiſſe babelica turri. 2. De hæbraica Gente unum Deum colente nullus moveri poteſt ſcrupulus. 3. De Gentilibus vero, ſi ſtupidam plebe-

(a) Eleganter Tullius more ſuo. *Itaque inter omnes omnium gentium ſententia conſtat. Omnibus enim innatum eſt, & in animo quaſi inſculptum, eſſe Deos. Quales ſint, varium eſt; eſſe nemo negat*. l. 2. de nat. deor. c. 2.

beculam excipias, quæ in hac re audienda non eſt, ſatis conſtat penes Eruditos, in tanta deorum caterva agnoviſſe ſemper unum eminentiſſimum, & cæteris imperans Numen. Recentes pariter nationes, ipſi Americani, Afri, Indi, Sinenſes, ne quid dicam de Turcis, unicum ſupremum Numen & Regem adorant. Huttentotti, quæ Gens nullo alterius nationis commercio unquam uſa eſt, ſummum hunc Deum intelligunt, etſi illi nullum offerant ſacrificium, nullas preces, quod ajunt, quum ſit beatiſſimus, nulla re indigere.

§. 15. Priuſquam ad II. & III. objectum reſpondeamus, operæ pretium eſt ſummam, ac pene incredibilem Atheorum vecordiam in anteceſſum indigitare. Aſſumunt hi ingenioſi diſputatores, id de quo unice quæſtio inſtituitur; nempe religionem commentum eſſe, & fabulam: tum in cauſſas inquirunt erroris, priusquam errorem eſſe demonſtrent illud, cujus origines, & rationes explorant; quo quidem neſcio an vitioſius, & ineptius aliquid eſſe poſſit. Sed expendamus utrum aliquid momenti inſit in objectis.

§. 16. Si prima Divinitatis notio ſingulas Gentes e ſtrepentibus per aëra fulminibus perterrefactas invaſit, quam profecto fortes Atheorum Animi, quos unice nec fulmina terrent, nec nubila ſiſtunt! Jam vero ſemel pavore concuſſis hominum Mentibus, perpetuo ab eis diſceſſit ratio, & tam longe abiit, ut nunquam ſepoſito terrore rediret, diſcuteretque præjudicatam opinionem? nec ſeri Nepotes, ipſis li-

cet Atheis ducibus, & magiſtris adnitentibus, commentum Avorum nec rejecerunt, nec agnoverunt? Equidem, quum conſtet, diem hominum commenta delere, excutiiſſent tandem aliquando Gentes præjudicatam ſententiam, vel hactenus ſaltem ad cor rediiſſent. Sed contra eſt; quo enim cultiores fuere Gentes, & Religioni magis incumbuerunt, & tenacius adhæſere. Deinde Divinitatis notio, quam ubique Gentes olim habuerunt, & modo habent, eſt Numinis Univerſi Rectoris, benefici Patris, hominum felicitati non modo non invidentis, ſed cumulantis. Si ex terrore, e quo nunquam homines ſunt expergefacti, ortum duceret Divinitatis notio, profecto hæc foret Divinitatis terrificæ, hominum bono invidentis, eoſque in tranſverſum agentis: hujuſmodi ſane ſunt ideæ, quæ animis ex terrore informantur.

§. 17. Nec minimum prodeſt profanis, naturalium cauſſarum ignorationem afferre, quaſi ex ea hominum Mentes ſupremam Virtutem, ſeu Deum ſibi effinxerint. Si ita foret, eſſet notio Divinitatis, ac in hanc religio in inverſa ratione ſcientiæ, & cognitionis cauſſarum. At contra eſt: ſiquidem Gentes literis florentiores, & Divinatis ſtudioſiores fuere: ſummi inter veteres Sapientes, Thales, Plato, Socrates &c. accuratius de Deo loquuti ſunt, & religioſius ſentiere; inter recentiores Newtonus, Eulerus &c. & ſcripſere elegantiſſime, & ſumma religione, coluerunt.

§. 18. Quod ad III. ſpectat, perbelle eſt obſervare, quomodo profani homines ſuo ſe jugulant

lant gladio. Qui circumvenire alios ſatagunt, ii Animorum affectiones, quas in hominibus extare vident, in rem ſuam convertere adnituntur, non vero novas in eorum mentes introducere. Legumlatorum itaque calliditas ac verſutia, qua Divinos congreſſus commenti ſunt, ne ſubjecti populi a legum propoſitarum norma deſciſcerent, edocet, populorum Animos ante imperium imbutos fuiſſe Divinitatis notione, nec-non religioni addictos antequam de rebus publicis condendis quiſpiam cogitaret. Ita ex. gr. Numa nunquam colloquia cum Egeria finxiſſet, neque leges ac inſtituta ſibi ab hac Diva tradita fuiſſe, mentitus eſſet, niſi in populo Romano animadvertiſſet notionem Dei alicujus, & propenſionem ad religionem: alias qui impatientes, elaſticos, & ſervitutis neſcios Romanorum Animos duplici graviſſimo jugo & legum latarum, & Divinitatis vindicis ſubmittere potuiſſet? Deinde, ſi ab imperantibus in populos derivavit Divinitatis, & religionis notio, profecto omnibus retro ſæculis ante conſtitutionem civilis imperii Gentes & Populi, fuiſſent Divinitatis ignari; nec non religione carerent qui nullis vivunt legibus, neque aliis parent. Atqui e contrario, Nationes, quo primis Mundi cunabulis viciniores, eo magis religioſæ fuiſſe comperiuntur: neque deficere religionis ſemina in illorum etiam populorum Animis, quos nulla civilis ſocietas colligavit, penes Doctos omnes conſtat.

§. 19. Delirationes itaque ſunt, quæ ab Atheis afferuntur Cauſſæ univerſalis, ac perennis

con-

conſenſionis Gentium de Divinitate, ac religione. Quod ſi, ſepoſitis Animi ſtudio, ac præjudiciis, veras hujuſce conſenſus cauſſas inveſtigare velimus, nullo negotio deprehendemus, has fuiſſe, I. Gentium omnium ex communi ſtipite, & protoparente originem: II. Mirificum Univerſi ſpectaculum ſingulorum oculis perpetuo præſens. Ex prima equidem factum eſt, ut Filii, ſerique Nepotes a parentibus edocti, primam Divinitatis notionem lacte ſimul exceperint. Ex ſecunda, ne prima iſthæc notio parentum traditione Animis informata in oblivionem abiret, quin immo firmaretur in dies. Hæc ſecunda Cauſſa, profecto potior prima, & ipſa ſola ſocordes Animos, veteriſque traditionis vel immemores, vel indoctas ab Atheiſmi ſomno fortiter diſcutit, Deumque agnoſcere cogit.

C A P. II.

De attributis, quæ Deo, uti Enti a ſe, conveniunt.

§. 20. DEi exiſtentia ſub notione primæ rerum omnium Cauſſæ effectricis adverſus profanos homines vindicata, illius modo naturam expendere, operæ pretium eſt. Hanc equidem, utpote undequaque infinitam, finitis Mentibus & brevi admodum intelligentia præditis, vetitum complecti, & adæquate introſpicere. Quare imbecillitati noſtræ conſulentes va-

variis illam adſpectibus ſeorſim contemplandam ſuſcipimus, ut quoad fieri poteſt, excellentiorem ipſius cognitionem aſſequamur. Deum itaque I. ut Ens a ſe; II. ut Mentem; III. ut hujus Mundi liberam efficientem cauſſam conſiderabimus, & in præcipua inquiremus attributa, ſeu perfectiones, quæ ei ſub hoc triplici adſpectu conveniunt. Re autem vera, quæ dicuntur Dei attributa ſunt una & ſimplex Divina Eſſentia: id vero nihil vetat, quin ſeorſim ea expendenda ſumamus, ne ſcilicet ſub infinitate Divinæ naturæ deficientes, cæcutiamus omnino, nec dein quidpiam delibare valeamus.

§. 21. Cum Deus ſit prima rerum omnium Cauſſa, eſt idcirco improductus: nequit proinde exiſtere niſi ſua vi, & neceſſitate ſuæ Naturæ. Si aliunde ſufficientem ſuæ exiſtentiæ rationem peteret, non eſſet prima rerum omnium Cauſſa. Patet itaque Deum, eſſe Ens a ſe, & neceſſitate ſuæ naturæ exiſtens.

§. 22. Cum ex nihilo nihil fieri queat, neque quidpiam eſſe poſſit cauſſa efficiens ſui ipſius *ont.* §§. 114, & 118; Ens, quod a ſe eſt, ſemper extitiſſe neceſſe eſt. Deinde cum neceſſitate & vi ſuæ naturæ exiſtat, nequit ſibi deficere, & ſicuti neceſſario ſemper extitit, ita & neceſſario ſemper extabit. *Deus* itaque *eſt æternus*.

§. 23. II. Cum Deus neceſſitate ſuæ naturæ exiſtat, quidquid ad Dei naturam ſpectat, neceſſario pariter exiſtit. Quare nihil, quod Dei eſt, nec defecit unquam, nec deficere ullo mo-
do

do poteſt; Deus adeo eſt *immutabilis*. Finge ſane, Deum mutari poſſe: neceſſe eſt, eum aliquid de novo poſſe adſumere, vel aliquid, quod habebat, ex eo decedere poſſe. Utrumvis dicas, eſſet aliquid in Deo non æternum, nec neceſſitate ſuæ naturæ exiſtens, ſed contingens. Id vero eſt abſurdum §. 21. *Eſt* proinde *Deus omnino immutabilis*. Confer §. 51. *coſmol.*

§. 24. Patet hinc 1. nullos in Deo eſſe, nec eſſe poſſe modos. Sane modorum ſufficiens ratio in parte ſaltem ab externa cauſſa repetenda eſt §. *ont.* 16. Eſt vero Deus omnino independens, alias non eſſet Ens a ſe. Nulli ergo ſunt in Deo modi. Quidquid proinde in Deo eſt, ad ejus ſpectat naturam, & eſſentiam, & neceſſarium eſt.

§. 25. Ex utroque mox expoſito theoremate patet 2., Deum actu eſſe, quidquid eſſe poteſt, & neceſſario, & ab æterno; nec ullam realem ſucceſſionem in eum cadere poſſe, cujuſcunque generis ea fingi velit. Sapienter Plato in Timæo ERAT, EST, *&* ERIT *partes ſunt temporis, & male transferuntur ad naturam æternam. Huic* EST *tantum competit,* ERAT *vero, &* ERIT *pertinent ſolummodo ad res in tempore fluentes; ſunt enim motiones. Illa ſemper immutabilis Natura nec ſenior, nec junior ullo modo eſſe poteſt.*

§. 26. Contra Divinam immutabilitatem ſequentia obſtare videntur. I. Cum Deus ſit æternus, Mundus vero ſit in tempore ab eo productus, ex non Creatore factus eſt Creator: ſeu

actio-

actionem in tempore edidit, qua ab æterno feriatus eſt. II. Cum tanta ſit rerum hujus Univerſi novitas, & mutatio, eaque Deum habeat Auctorem, haud illum eadem ſemper velle, nec eadem ſemper nolle, dicendum eſt. III. Cum nihil Deus neceſſitate ſuæ naturæ velit, agatque, ſed ex liberrima ſua voluntate; profecto quæ voluit, nolle: & quæ noluit, velle poteſt; id quod certe cum abſoluta immutabilitate conciliari nequit. IV. Vel vanæ ſunt preces, ſupplicationeſque, quibus homines in ſua vota Divinitatem pertrahere ſatagunt: vel ſi hæ non inutiles ſuum quandoque ſortiuntur effectum, Deum mutari dicendum eſt; quippe ſua conſilia, ſuamque in homines providentiam flectit, attemperat &c.

§. 27. Sed ſingula iſthæc futilia ſunt, & binis verbis exſufflantur. I. Quam dicimus creationis actionem, nihil eſt aliud, niſi Divinæ Voluntatis actus, quo Mundi exiſtentiam efficaciter decernit. Hic profecto Divinæ Voluntatis actus æternus eſt; ſicut ipſe Deus: at vero ejus objectum, ſeu effectus a Deo intentus, Mundi ſcilicet molitio, non pro æternitate, ſed pro tempore intendebatur. Nihil ergo novi egit Deus, cum Mundus e nihilo apparuit. II. Tota rerum mutabilium ſeries, quanta quanta eſt, unico, & ſimplici, & æterno Divinæ Voluntatis actu continetur. Deus ergo immutabiliter vult mutabilia. III. Cum æterna fuerit in Deo ratio tum volendi quæ voluit, cum quæ noluit nolendi, etſi nihil neceſſitate naturæ velit, nolit-

ve;

ve: quæ ſemel voluit, aut noluit ob eamdem æternam rationem perpetuo volet, noletve. Sane incoſtantiæ, levitatis, vel inſcitiæ eſt argumentum nolle quæ olim ſunt volita, & e contrario, velle quæ nolita ſunt. Sed nihil horum in Deum cadit. IV. Preces, ſupplicationeſque ad Deum, non Deum erga homines, ſed homines erga Deum flectunt. Perpetuo manet Deus in amore juſtitiæ, & ordinis: prout ergo homines vel in ordine manent, vel ab eo deſciſcunt, vel ad eumdem redeunt, bona vel mala experiuntur ab imperturbabili & immota Divina Natura juxta ordinis leges agente. Nimirum preces, ſupplicationeſque &c. ad illum ſpectant ordinem, cui Divina Voluntas atque Providentia perpetuo, & immobiliter adhæret.

§. 28. III. *Deus eſt Ens infinite perfectum extenſive, & intenſive.* Si non eſt infinite perfectum, eſt profecto natura ſua perfectibile. Cum enim Entitas entitati haud pugnet, quævis finita Entitas nova ſemper augmenta ſuſcipere poteſt tum *extenſive*, cum *intenſive*. Sed quod natura ſua perfectibile eſt, hoc ipſo eſt mutabile. Id ergo cum de Deo pugnet, neceſſe eſt, eum omnem poſſibilem entitatem complecti; atque adeo infinite perfectum eſſe & intenſive, & extenſive. Revera finis, ſeu limes non eſt quid poſitivum, ſed negativum; eſt nimirum defectus majoris entitatis. Fiat hypotheſis, Deum haud eſſe infinite perfectum; & quoniam Is eſt Ens neceſſitate ſuæ naturæ exiſtens & immutabile §§. 21. 23, erit Deus Ens ejuſmodi, ut naturæ ſuæ neceſſitate ſit finitum, & in ſuæ fini-

finitionis ſtatu immutabile. Id vero abſurdum eſt. Concipi enim nequit Entitas, quæ naturæ ſuæ neceſſitate certam ſui limitationem expoſcat, certamque menſuram; quæque repugnet ſui ipſius augmento. Deus igitur eſt Ens infinite perfectum &c. Confer *coſmol.* §. 53.

§. 29. IV. *Deus eſt Ens ſimpliciſſimum.* Ens compoſitum pendet e componentibus. Deus vero eſt Ens omnino independens. Nequit ergo eſſe niſi *phyſice* ſimplex. Deinde quodvis compoſitum natura ſua eſt mutabile. Deus autem eſt immutabilis. §. 23. Iterum ergo conficitur, Deum eſſe ens ſimplex.

§. 30. In Scholis diſputatum eſt, an *metaphyſica* ſaltem, vel *logica* compoſitio Deo conveniat. Quod ad primum ſpectat, affirmativam ſententiam Scotiſtæ tenuerunt, aſſerentes Dei attributa *formaliter ex natura rei* inter ſe diſtingui. At non ſatis penſiculate, quippe quodvis Divinum attributum natura ſua nequit aliud eſſe quam ipſa Divina eſſentia, in qua ſapere ex. gr. idem profecto eſt ac eſſe. Quod ſi diſtinctiones inter Divina attributa ſtatuere ſolemus; id quidem efficimus imbecillitatis Mentis noſtræ gratia, non quod ſit quidpiam in Deo multiplex. Verbo, ſunt illæ diſtinctiones *virtutis* ſeu *rationis* in Mentis noſtræ conceptibus fundamentum habentes, non *formales* in natura rei inſidentes. Quod vero ad alterum ſpectat, ad quæſtionem nominis tota res mihi perduci videtur. Cum enim logica compoſitio ex *genere* & *differentia* conſtet §. 58. *ont.*, *Genera* autem ſint noſtræ Mentis notiones abſtractione confectæ, & appoſitis no-

nominibus deſignatæ : hæ primum notiones accurate ſunt determinandæ, atque exponendæ, eritque poſtmodum facillima quæſtionis ſolutio. Ita ex. gr. ſi *ſubſtantiæ* nomine quis intelligat, id quod in quaque re ſubſtat, & adjunctorum fulcrum eſt, Deus ſub genere ſubſtantiæ haud comprehendi poteſt. Si vero illo vocabulo intelligatur omne id, quod per ſe ſubſiſtit, & modo Deus ſubſtantia eſt.

§. 31. V. *Deus eſt immenſus*. I. Quippe repugnant Deo, utpote Enti infinito, quævis limitationes ſicuti eſſentiæ, ita & exiſtentiæ; atque adeo ſicuti infinitus eſt in eſſentia, ita in exiſtentia immenſus eſſe debet.

II. Exiſtat enim vero Deus in aliquo tantum loco, non ubique. Sufficiens ratio cur in hoc potius loco, & non in alio, nec ubivis exiſtat, vel in ipſo loco ineſt, vel in Dei natura. Utrumvis dicatur, non foret Natura Dei omnimode independens; ejuſque exiſtentia cum ſit determinato loco alligata, haud eſſet ſibi ſufficientiſſima, & a ſe. Hoc autem repugnat Deo. Igitur ubique locorum exiſtat Deus oportet ſuæ immenſitate naturæ.

§ 32. Atqui, cum dicimus Deum eſſe immenſum, meminerimus & natura ſua ſimpliciſſimum eſſe, ne noſtræ imaginationis vitio perabſurde opinemur illum ſpatioſa magnitudine ubique diffundi. Qua de re animadvertatur, notionem Divinæ immenſitatis non poſſe ullo pacto ſecerni a notione ſimplicitatis veræ, & abſolutæ: neque Deum dici poſſe immenſum, niſi & una ſimul ſimplex habeatur. Sane quævis

ma-

magnitudo minor eſt in ſui parte, quam in toto; Deus vero per ſuam immenſitatem unus & idem ubique locorum eſt, & rei cuilibet intime præſens. Certe immenſitas, & ſimplicitas duæ ſunt perfectiones puræ: ambæ adeo de Ente infinite perfecto prædicandæ veniunt. Cum vero utriuſque perfectionis nec adæquatas nec poſitivas habeamus notiones; hinc ratio ſibi deficiens ab imaginatione exſuperatur, quæ, immenſitatem cum ſimplicitate pugnare, falſo repræſentat. Quod ſi clare pervidemus immenſitatem non poſſe niſi Enti ſimplici convenire, ratio imaginationem corripiat, neque ſinat ab ea rapi.

§. 33. *Deus eſt unus*. I. Nulla adeſt ratio eccur plures eſſe Deos putemus. Sane Dei notionem ex neceſſitate primæ alicujus Cauſſæ efſectricis nobis comparamus: ſemel ac ſtatuimus, aliquem exiſtere Deum primam rerum omnium cauſſam, nulla adeſt ratio cur plures Deos comminiſcamur. II. Deorum pluralitas manifeſtiſſime rationi contradicit. Quid ſane Deorum nomine intelligi debet, niſi Entia naturæ ſuæ neceſſitate exiſtentia, atque adeo infinite perfecta? §. 53. *coſ.* §. 28. *theol.* Atqui duo infinita, non inquam plura, manifeſtiſſime repugnant. Sint, ſi fieri poteſt, hæc duo infinita A, & B. Inſunt ne Enti A illæ eædem numero perfectiones, quæ inſunt B, & viciſſim: vel non? Si primum, illa duo Entia A, & B non ſunt reapſe niſi idem, & numero unum Ens. (a) Quod ſi unius

(a) Huc profecto ſpectat illud Leibnitii effatum, quo ſta-

ſi unius perfectiones non inſunt alteri eædem numero, & viciſſim, ſed tantum ſimiles, aut alterum, aut utrumque finitum erit; quippe uni deficiunt perfectiones alterius. Id vero eſt contra hypotheſim. Igitur nequit niſi unus Deus exiſtere.

§. 34. Dei unitatem ipſi Gentiles Philoſophi agnoverunt: tum quotquot ſupra ſtupidam plebem rerum cognitione ſe extulerunt; id quod inter cæteros ex Recentioribus demonſtratum eſt a Cudwortho. Quod ſi quandoque plurimi eorum plures videntur Deos agnoviſſe, unum tamen ſummum & natura Deum ſemper poſuere, e quo cæteri eſſent conditi, & cujus imperio ſinguli regerentur. Sane Cotta apud Ciceronem atheiſmi cauſſam agens *impoſuiſtis*, contra Balbum inquit, *cervicibus noſtris ſempiternum Dominum, quem noctes, dieſque timeremus*. Dominum inquit, non Dominos, licet quam frequenter Balbus, Deos, non Deum nominet. Scilicet qui Deos eſſe aſſeverabant, hos unius ſummi

ſtatuitur, duo Entia perfecte ſimilia eſſe impoſſibilia §. 47. *ont.* Etſi enim duo Entia perfecte ſimilia, quæ tamen numero diſtinguantur, poſſibilia eſſe alibi demonſtraverimus: id equidem nonniſi de Entibus finitis decrevimus, quorum ſcilicet Entitates, etſi in cæteris perfecte ſimiles, per propriam tamen limitationem plures eſſe poſſunt, & ad invicem ſecerni numerice, cum neceſſe non ſit, ut una in altera contineatur. Cum vero de Entibus infinitis ſermo inſtituitur, in quibus nullæ ineſſe poſſunt limitationes, evidentiſſimum eſt, duo Entia perfecte ſimilia impoſſibilia intrinſecus eſſe, ut demonſtratione haud indigeat.

mi Dei Miniſtros, & ſamulos putabant, ut adeo Cotta, qui eorum ſententiam perſpecte noverat, omnes univerſim Deos ſe elevaturum intelligebat, ſi illius ſempiterni Domini, quem dies noctesque timendum dicebat, exiſtentiam elevaret (a). Certe unius ſummi Dei ſententia penes Gentiles adeo conſtabat, ut Fauſtus Manichæus non dubitarit Divo Auguſtino objicere, Judæos olim, tum deinceps Chriſtianos unitatis dogma ab Ethnicis ſumpſiſſe.

§. 35. Contra Dei unitatem abſurde nimis ſenſerunt Manichæi. Hi duos Deos, ſeu duo æterna, & invicem independentia Principia poſuerunt, quorum alterum Cauſſa ſit & origo omnium bonorum: alterum vero Auctor omnium

V 2

(a) Sed juvat Balbum ipſum audire. *Multæ autem aliæ naturæ Deorum ex magnis beneficiis eorum non ſine cauſſa, & a Græciæ ſapientibus, & a majoribus noſtris conſtitutæ, nominatæque ſunt. Quidquid enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non ſine Divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat a Deo natum, nomine ipſius Dei nuncupabant; . . . . tum autem res ipſa, in qua vis major ineſt aliqua, ſic appellatur, ut ea ipſa vis nominetur Deus, ut Fides, ut Mens . . . . . Quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut ſine Deo regi non poſſet, ipſa res Deorum nomen obtinuit . . . . Suſcepit autem vita hominum, conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama, & voluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Caſtor, & Pollux, hinc Æſculapius, hinc Liber etiam . . . Alia quoque ex ratione, & quidem phyſica, magna fluxit multitudo Deorum: qui induti ſpecie humana fabulas Poëtis ſuppeditarunt, hominum autem vitam ſuperſtitione omni referſerunt.* Cic. l. 2. de nat. Deor. cap. 23.

nium malorum. In hanc abſurdam ſententiam, (quam turpiter more ſuo Baylius patrocinatus eſt) deſcenderunt, eo quod non intelligerent, quî cum Dei bonitate, ſi quidem unus exiſtat Deus natura ſua bonus & beneficus, conciliari poſſent tot mala, quibus undique premimur.

§. 36. De malorum origine alibi diſputaturi, ſufficiat modo hanc ſententiam breviter perſtringere, quippe, cum aperta laboret contradictione, longa confutatione non indiget. Et I. Deus malus Manichæorum eſt Ens improductum, & naturæ ſuæ neceſſitate exiſtens, non ſecus ac Deus bonus. Sed quod hujuſmodi eſt, nequit non eſſe entitatis undequaque infinitæ §. 53.; atque adeo imperturbabilis, & beatiſſimæ naturæ. At ex eadem Manichæorum hypotheſi idem ipſe Deus invidia & odio humanam Gentem proſequitur, hujus miſeriam procurare ſatagit, bonique Dei conſilia, & beneficam providentiam pervertere. Quod vero eſt hujuſmodi & ab infinita entitate ſummopere diſtat, & eſt miſerrimum. Deus ergo malus Manichæorum intrinſecus pugnat, neque aliter ſe habet ac Circulus quadratus. II. Hæc hypotheſis ſeipſam evertit, & ad atheiſmum recta ducit. Revera, duo Manichæorum Principia perpetuo inter ſe dimicant: conſilia unius irrita fiunt conſiliis alterius: providentia Dei boni perverſitate & malitia Dei mali evertitur, & viciſſim: Alter ab altero oppoſitionem patitur, & perpetuo inter ſe dimicant. Neuter ergo beata fruitur vita; neuter adeo eſt Deus. Igitur hypotheſis iſthæc ſeip-

ſeipſam evertit, & ad atheiſmum recta ducit. Cetera omitto.

CAP. III.

De Attributis, quæ Deo ut Menti conveniunt.

§. 37. DEum Mentem eſſe, & quidem intelligentiſſimam, illa eadem argumenta pleniſſime conficiunt, quæ ejus demonſtrant exiſtentiam. Sapienter Tullius de *Nat. Deor.* c. 4. *Aut vero aliqua quædam natura mentis, & rationis expers hæc efficere potuit, quæ non modo, ut fierent, ratione eguerunt; ſed intelligi qualia ſint, ſine ſumma ratione non poſſunt?* Attributa, quæ heic expendenda ſuſcipimus, ſunt Scientia, Beatitudo, Voluntas.

ART. I.

Dei Scientia expenditur.

§. 38. SUpremæ, æternæque Mentis Intelligentiam *extenſive*, & *intenſive* infinitam eſſe, facili conſequutione ex §. 53. nequit cuique non innoteſcere. Itaque Dei Intelligentia, ac Scientia haud aliter concipienda eſt, quam ſimpliciſſimus actus, quo ſibi, quotquot cognobilia ſunt, omnia ſimul & ſingula quam diſtinctiſſime ſibi repræſentat.

§. 39. Hinc ſponte ſua ſequitur I. Divinam Mentem nihil nec *abſtrahere*, nec *ratiocinari*, nec *meminiſſe*. Abſtractio enim, ratiocinatio,

& memoria tunc locum habent, quum non omnia ſimul intelliguntur; quod profecto infinitæ Dei Intelligentiæ pugnat. II. Nec *ſentire*, nec *imaginari* quidpiam: ſenſatio enim, & imaginatio ex corporeis ſunt pulſibus; quod in Deum, qui puriſſima Mens eſt, & ab omni materiali compage ſoluta, non cadit. III. At vero *ſumma* gaudere, & *perfectiſſima ratione*; Deus enim omnia, & ſingula Entia quam diſtinctiſſime perſpicere debet. Secus ſi foret, ejus Intelligentia non gauderet eo perfectionis gradu, cujus eſt capax, nec adeo foret infinita.

§. 40. Sed hanc pleniſſimam rerum omnium ſcientiam, qua Divina æterna Mens fruitur, juvat paullo latius perſequi. Quotquot cognobilia ſunt ad duas claſſes revocanda videntur, ſi ab ipſa æternitate conſiderare ea velimus. Harum altera ſimpliciter *poſſibilia* complectitur: altera vero, quæ, pro certa temporum differentia, ſunt *futura*.

§. 41. Quod ad primam ſpectat, Nemo unus ambiget, Divinam Intelligentiam haud eſſe poſſe ipſius Dei entitate anguſtiorem, ſed eam tam late patere, quantum ipſa patet Divina natura. Niſi enim ita, foret Deus ſibimet ignotus, quod & ſtultum eſt aſſerere, & Divinam evertit naturam. Itaque Deus ſeipſum, Entitatem profecto abſolute infinitam, adæquate intelligens, nequit una ſimul diſtinctiſſime non perſpicere, quot modis communicabilis ſit. Id vero nihil eſt aliud, niſi infinita numero, ſpecie, & genere Entia intelligibiliter cudere, ac ſibi repræſentare. In infinita ergo Divina entitate, infini-

ni-

nitaque intelligendi vi ratio continetur, eccur Deus infinitam omnium poſſibilium ſcientiam & cudat, & complectatur.

§. 42. Jam vero infinita poſſibilia, relate ad exiſtentiam, ad quam perduci poſſunt Divinæ efficacitate potentiæ, infinitas ſubire poſſunt combinationes inter ſe, tum in coëxiſtendo, cum in ſibi invicem ſuccedendo. Hæ combinationes, ſive iſthæc intelligibilia ſyſtemata Entium coëxiſtentium, & ſibi invicem ſuccedentium totidem ſunt Mundi ideales. Cum ergo Mundi ideales ſint totidem Poſſibilia, ii profecto Divinæ infinitæ Intelligentiæ pleniſſime, & penitiſſime patere debent. Num ne foret Divina intelligendi vis minor ſuō objecto? vel potius; non intelligeret Deus, quæ intelligendo cudit?

§. 43. Ex hiſce intelligibilibus Mundis equidem infiniti ſunt, qui nequeunt eſſe niſi inordinati: quorum ſcilicet Entia & coëxiſtentia, & ſucceſſiva, contra, vel præter mutuas relationes ex ſingularum naturis fluentes, coëxiſterent, vel pergerent. Atqui infiniti alii erunt ordinatiſſimi, ſuaque ſinguli perfectione conſtantes: ii nimirum, quorum Entia tum coëxiſtentia cum ſucceſſiva juxta mutuas relationes, & ſuis naturis conformiter pergerent, contenderentque ad aliquem communem finem. In ſingulis hiſce Mundis idealibus ordinatis nihil fortuitum, nihil temerarium nec eſſe nec fingi poteſt. Singula quotquot vel ad idealem coëxiſtentiam, vel ad idealem ſucceſſionem ſpectant ex natura, & complexione totius ſyſtematis, nec non ex naturis ſingulorum Entium ſyſtema conſtantium,

fluere debent: nec aliter fluere, quam ipſæ Entium naturæ, mutuæque ad invicem relationes exigunt. Hinc profecto eſt, ut, vel ex ipſis exordiis cujuſque Mundi intelligibilis, infinita Divina Intelligentia, cui penitiſſime patent & naturæ, & relationes ut ut minimæ Entium ad illum Mundum ſpectantium, perſpectiſſime, & pleniſſime nequit non attingere ſingulas ſucceſſiones, & evolutiones ad eumdem Mundum ſpectantes.

§ 44. Divina poſſibilium ſcientia, quam breviter modo expoſuimus, *ſcientia ſimplicis intelligentiæ* ſolet nuncupari. Ejus fons & origo, ut patet, ipſa eſt infinita Dei Entitas Divinæ Intelligentiæ pleniſſime patens.

§. 45. Atqui gaudet quoque Deus completa ſcientia omnium futurorum, quæ ad certa quævis & determinata tempora ſpectant; quam *viſionis* ſcientiam dixerunt. Hujus ſcientiæ, eo quod & futura libera complecti debeat, ex humanis ideis explicatio, acriter torſit Theologorum ingenia. Ita vero nobis exponenda videtur. Mundus hiſce realis, quantus quantus eſt & duratione, & extenſione, & intenſitate, expreſſio eſt & deſcriptio unius ex illis infinitis intelligibilibus Mundis Divinæ Menti longe lateque ab ipſa æternitate patentibus: illius ſcilicet, cui æterno, & efficaciſſimo Divinæ Voluntatis decreto adjudicata fuit exiſtentia in tempore conſequenda. Nihil profecto eſt, nec fuit, nec erit quidpiam in hoc reali Mundo, quod vel latum unguem ab illo æterno exemplari re-

ce-

cedat (*a*). Cum ergo Deo conſtet ſuæ Voluntatis efficacitas, tum conſtiterit ab æterno idealis Mundus, cui exiſtentiam in tempore conſequendam adjudicavit : nequeunt ei ab æterno non eſſe utique perſpecta quotquot futura ſunt. Reales enim entium ſucceſſiones, & futura quævis, quæ ad hunc ſpectant Mundum, ſunt expreſſiones idealium ſucceſſionum & evolutionum, quæ in æterno intelligibili & exemplari Mundo Deus contemplabatur. Voluntas itaque Divina fons eſt & origo illius ſcientiæ, qua Deus futura omnia ab ipſa æternitate complexus eſt.

§. 46. Humanarum actionum certa & infallibilis ab æternitate prænotio adeo cum libertate pugnare viſa eſt quibuſdam Philoſophis, ut exitum non reperientes, maluerint ſuperbiendo alterutram denegare, quam ſui imbecillitatem ingenii fatentes, utrique veritati acquieſcere. Horum nempe Alii, de humana libertate nihil hæſitantes, futurorum liberorum ſcientiam ab æternitate Deo adimerunt. Alii vero, Divinam rerum omnium certam & infallibilem præſcientiam pro rata, & indubia ſtatuentes, Mentibus agendi libertatem eripuere. Hi e Fataliſtarum ſunt grege, qui Divinam præſcientiam nobis neceſſitatem imponere agendi quæcunque agimus, contra intimum conſcientiæ ſenſum effutiunt. Iiſdem

(*a*) Elegantiſſime Boëthius *l.3.de conſolat. philoſ. l.III.*

. . . . Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo: pulchrum, pulcherrimus Ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique in imagine formans,
Perfectaſque jubens, perfectum abſolvere partes.

dem pene armis Utrique pugnant, quo propriam tueantur ſententiam. Hos audire & refutare maximopere intereſt.

§. 47. Inquiunt: I. Cum Dei ſcientia certa ſit, & infallibilis, quæ Deus prænovit, nequeunt profecto non evenire. Sed quæ nequeunt non evenire neceſſario eveniunt. Quæ ergo futura Deus prænovit, neceſſario ſunt futura. Vel ergo nulla ſunt futura libera, vel ſi aliqua ſunt hujuſmodi, a Deo neutiquam ſunt prævifa. II. Et revera, facta hypotheſi, Deum ſingula ab æternitate prævidiſſe, ſicuti ſi modo aliquid fieret contra id, quod Deus prævidit, actu Dei prævifio errori obnoxia foret: ita profecto, ſi aliquid contra id quod Deus prævidit, evenire poſſet, Dei ſcientia poſſet errori ſubjacere. Quum ergo Divina prævifio, nec unquam a veritate aberret, nec queat aberrare: dicendum eſt, rerum omnium & Cauſſas, & effectus ne dum ita pergere, ut Deus prævidit, ſed nec aliter pergere poſſe. Confirmatur itaque, vel nullam habere Deum certam ſcientiam futurorum: vel quæ dicuntur futura libera non eſſe hujuſmodi niſi verbo tenus, reapſe tamen neceſſaria eſſe.

§. 48. Ad ſingula reſpondemus. Ac I. diſtinctione indiget, quod principio ponunt: *quæ Deus prænovit, nequeunt non evenire:* nequeunt profecto non evenire *hypothetice*, & *conſequenter*, non item *abſolute*, & *antecedenter*. Quæ diſtinctio ut in propatulo ponatur, ſupponamus, me, omni illuſionis periculo remoto, Petrum coram ambulantem intueri. Profecto, quandiu il-

illum ambulantem intueor, fieri nequit, quin deambulet; non enim fieri poteſt, ut idem ſit ſimul, & non ſit. At nemo non videt, idcirco fieri non poſſe, quin Petrus deambulet, quia ipſe ſe & ad deambulandum determinavit, & adhuc in eadem determinatione manet: non quod neceſſitatem aliquam ex mea viſione paſſus ſit, vel actu patiatur. Neceſſitas itaque, qua Petrus actu deambulans nequit non deambulare, *hypothetica* eſt, & *conſequens*, fluens nempe ex ejus libera determinatione, non vero *abſoluta*, & *antecedens*, quæ nimirum ex mea viſione manet, illum præveniat, & cogat ad ambulandum. Una, eademque Petri libera determinatio ad deambulandum, origo eſt, & principium eccur illum deambulantem certo intuear, & cur nequeat ille actualiter, & de facto non deambulare. Ità porro de Divina futurorum liberorum præſcientia loquendum eſt: futura enim libera, ut Divus Auguſtinus monuit, *non quia Deus novit, ideo ſunt futura; ſed quia erunt futura, Deus novit*. (a)

§. 49.

(*a*) Heic maxime intereſt animadvertere, vocabula *præſcientiæ*, & *futurorum* ex noſtræ imbecillitatis & ignorantiæ modulo uſurpari; hæc enim vocabula ſi ad Divinam æternam Mentem referre quis velit, primum equidem idem ei ſonare debet, ac *clara*, & *intuitiva cognitio*: alterum vero *præſentia*, *actualia*. Eſt ſane realis hicce Mundus expreſſio, & deſcriptio illius Mundi idealis, quem Deus & Mente gerebat, & a fine ad finem penitiſſime attingebat. Quæ igitur noſtri reſpectu

§. 49. II. Neque quidpiam valet, quod ſecundo objiciunt: nempe ſi ea, quæ a Deo ſunt prævisa, intrinſecus, & abſolute poſſent non evenire, vel evenire aliter ac prævisa ſunt, foret intrinſecus poſſibile, Divinam præſcientiam a veritate aberrare: atque adeo, vel Deum certa & infallibili futurorum liberorum præſcientia carere, vel nulla eſſe futura libera. Non, inquam, quidquam valet hujuſmodi objectio: nam licet Cauſſæ liberæ dum agunt, & antequam agant intrinſecus & abſolute potentiam habeant non agendi, vel agendi aliter ac agunt: contra ac cauſſæ neceſſariæ, quæ ſua natura & intrinſecus nequeunt non agere, vel aliter agere; non propterea cauſſarum liberarum actiones minus certæ ſunt & determinatæ, ac actiones e cauſſis neceſſariis profluentes. Te ambulantem intueor, & lapidem ſibi commiſſum deorſum labentem: non minus certa, & determinata eſt tua deambulatio, quam lapidis lapſus: non minus mihi conſtabit tua deambulatio licet libera, ac lapidis lapſus, qui ex ipſius naturali, & neceſ-

ctu appellamus præterita, præſentia, & futura, ſingula æque præſentia Deo ab æternitate fuere, & quæ a nobis dicitur futurorum præſcientia, revera, Dei reſpectu, præſentium viſio eſt, & appellanda venit. Conficitur hinc, quod ſicuti noſtri reſpectu certa ſcientia præteritorum, & præſentium non cogit facta eſſe, quæ præterierunt, neque fieri cogit, quæ modo fiunt: ita certa Dei ſcientia nihil cogens naturas, & relationes Entium in illo ideali Mundo ordinatorum, neque modo cogit facienda in hoc Mundo reali, quæ fieri & fluere ex propriis Entium naturis Ei viſa ſunt in intelligibili Mundo.

ceſſaria determinatione pendet. Potentia ſane quam habes non deambulandi, nihil labefactat actualem tuam deambulationem, nec eam dubiam, incertamve efficit. Igitur Deus liberas determinationes ab æterno perſpiciens nec unquam fallitur, nec falli poteſt, licet Cauſſæ liberæ potentiam illis determinationibus oppoſitam habeant.

ART. II.

De Dei abſoluta Beatitate.

§. 50. DEus beatiſſima, & imperturbabili natura gaudere debet. Eſt ſane Deus Mens neceſſitate ſuæ naturæ exiſtens, atque adeo Entitatis abſolute infinitæ §. 28. Nulla entitatis, ſeu bonitatis ratio nec ei deeſt, nec decidere ab eo poteſt. Qua neceſſitate naturæ exiſtit, eadem & eſt infinite perfectus, & perpetuo conſervatur. Sed Mens, quæ hujuſmodi eſt, nequit non eſſe beatiſſima, & imperturbabilis. Deus igitur beatiſſima, & imperturbabili natura conſtat. Finge, Deum minus eſſe beatum. Deeſt Ei ergo bonum aliquod, ex cujus defectu minus ſit beatus. Sed hoc eſt abſurdum. Finge turbari poſſe. Decidere ergo ex Eo poteſt aliquod bonum, vel malum aliquod in eum occurrere. Igitur nec erit beatiſſimus, neque immutabilis. Atqui hæc pugnant. Gaudet ergo Deus beatiſſima, & undequaque imperturbabili natura.

§. 51. Patet hinc I. nullos veri nominis affe-

fectus in Deum cadere poſſe. Sane affectus ſunt naturæ commotiones, & niſus vel ad avertenda mala, quæ imminent, vel ad comparanda bona, quæ deſunt. Sed nihil horum beatiſſimæ, & imperturbabili Naturæ Divinæ convenire poteſt. Procul ergo a Divina Natura exulant omnes veri nominis affectus.

§. 52. Liquet II. haud tribui poſſe Deo virtutes morales ex noſtris ideis, ſed eminentiſſimo prorſus modo. Virtutes enim, quæ humanis ideis continentur, vel imperfectionem præſupponunt in ſubjecto, cui illæ inſunt, vel ſaltem aliquid imperfectionis in ſe includunt; id quod cuilibet virtutes ſingulas expendenti protinus innoteſcere poteſt. Eſt vero Deus & perfectiſſimus, & beatiſſimus, cui nulla ratio bonitatis & perfectionis deeſſe poteſt. Igitur nequeunt Deo virtutes tribui ex humanis ideis, ſed prorſus eminentiſſimo modo.

ART. III.

De Dei Voluntate.

§. 53. CUm Voluntatis notio adeo notioni Mentis ſit adnexa, ut altera ab altera ſejungi nullo modo poſſit, patet, Deo Voluntatem tribuendam eſſe. Revera cum hicce Mundus e nihilo ſit conditus, nonniſi Divinæ Voluntati tribui poteſt, eccur inter infinitos alios æque poſſibiles & ſit electus, & ſit ad exiſtentiam perductus.

§. 54. Dei autem Voluntas nequit eſſe niſi

re-

rectiſſima, ſcilicet infinitæ ſuæ Sapientiæ ſcitis, æterniſque rationibus apprime conformis. Cum enim Natura Dei ſimpliciſſima ſit, ac perfectiſſima §§. 28. 30., equidem fieri non poteſt, ut in Eo aliud ſit velle, aliud ſapere. Sane quid magis abſonum quam, Voluntatem a Sapientia deſciſcere, ac Sapientiam erroris, levitatis, vel oſcitantiæ Voluntatem redarguere? Profecto id everteret intimam Dei Naturam numeris omnibus abſolutiſſimam.

§. 55. Divina Voluntas, qua parte objecta extra ſe poſita intendit, liberrima eſt, & immutabilis. Sane nulli externo fato poteſt Deus ſubjici, cum ſit omnino independens, & a ſe; neque ulla neceſſitate naturæ, nulloque interno impetu rapi poteſt ad proſequenda objecta extra ſe, quum ſit intrinſecus & natura ſua beatiſſimus, nullumque licet minimum beatitudinis augmentum advenire ei extrinſecus poſſit. Liberrima igitur Deus Voluntate gaudere debet. Cum vero nequeat Divina Voluntas non eſſe immutabilibus, ac æternis ſuæ Sapientiæ rationibus apprime conformis §. *præc.*, conſequens eſt, illam nec unquam mutari, nec mutari poſſe.

§. 56. Quæ Deus vult, aut non vult, ab æterno, ac ſemper voluiſſe, aut noluiſſe oportet; nec quidpiam Deus velle poteſt, quod ab æterno noluit, aut modo nolle, quod ab æterno voluit. Itaque Dei Voluntas non inſtar facultatis concipi debet, ſed inſtar ſimpliciſſimi actus perpetuo, & immutabiliter permanentis, quo ab ipſa æternitate voluit, noluitve ſingula ſimul, quæ eſſe poterant ſuæ Voluntatis objectum.

§. 57.

§. 57. Patet hinc nonniſi ex imbecillitatis noſtræ modulo plures Deo tribui Voluntates, quibus res extra ſe intendat, & quas *æterna* Dei *decreta* appellare conſuevimus.

CAP. III.

De attributis, quæ Deo, utpote primæ rerum omnium Cauſſæ, conveniunt: ubi de conſervatione, bonitate, & providentia.

ART. I.

De Conſervatione.

§. 58. CUm ſingulæ hujus Mundi ſubſtantiæ non ex ſe, & vi ſua, ſed efficaci Divina Voluntate olim exiſtentiam ſint conſequutæ; ſponte veluti ſua inquirendum modo occurrit, qua vi hactenus in ſua perdurarint exiſtentia, ſeu cui referenda veniat ſuæ exiſtentiæ continuatio.

§. 59. I. Iſthæc exiſtentiæ continuatio nequit Entibus contingentibus vi propriæ eſſentiæ convenire. Si enim exiſtentia ad eorum eſſentiam pertineret, forent Entia illa immutabilia: contradictorium ſane eſt, quidpiam ſua eſſentia exiſtentiam, vel continuationem exiſtentiæ obtinere, & interim eſſe, & fieri poſſe aliud ab eo quod eſt. Sunt vero Entia quævis hujus Mundi ut origine ſua contingentia, ita & ejuſmodi in ſuæ

exi-

exiſtentiæ continuatione. Exiſtentiæ itaque continuatio nequit Entibus contingentibus vi propriæ eſſentiæ convenire: atque adeo aliunde ejus ſufficiens ratio repetenda venit.

§. 60. Ratio ſufficiens continuationis in exiſtendo nequit alia eſſe a ratione ſufficienti exiſtentiæ primo temporis momento conſequutæ. Revera exiſtentia ſecundo, tertio &c. momento ejuſmet naturæ eſt, ac exiſtentia primi momenti: immo una eſt eademque exiſtentia: nempe Entia contingentia ſubſequentibus momentis ſuum *eſſe* haud aliud & diverſum habent ab illo, quod primo momento obtinuerunt. Igitur ſufficiens ratio continuationis exiſtentiæ Entium contingentium illa eadem eſſe debet, quæ fuit eorum originis.

§. 61. Nec in contrarium valet exemplum ex hominum manufactis deductum, quæ perdurare ex ſeipſis videntur. Nam manuum noſtrarum opera non ſunt niſi certæ modificationes materiei inductæ. In materia itaque, cui inhærent, ſubſiſtunt: atque adeo earum perduratio a materiæ perduratione, & inertia pendens, eidem tandem Cauſſæ referenda venit, e qua conſervatio materiei ſuam petit ſufficientem rationem.

§. 62. Ex dictis patet I. ſufficientem rationem continuationis exiſtentiæ entium contingentium in eodem Ente æterno conſiſtere, e quo ſuam exiſtentiam primo auſpicata ſunt. II. In hypotheſi, qua Ens æternum nihil curaret entia a ſe olim condita, ſed ea veluti ipſa ſibi relinqueret, nequirent profecto, ne minimo quidem temporis intervallo, perdurare, in nihilum illi-

co abitura. III. Quum exiſtentiæ continuatio, *conſervatio* appellari ſoleat, liquet, illum ipſum rerum omnium Conditorem eſſe earumdem *Conſervatorem* optimum. IV. Rerum conſervationem haud inſcite *continuatam creationem* dictam eſſe: quæ phraſis haud ita intelligenda eſt, quaſi Deus ſingulis momentis reiteratos edat creandi actus, ſed quod rerum conſervatio non conſiſtit, niſi ex eodem Divinæ Voluntatis æterno, atque efficaciſſimo actu, e quo illæ ſuam exiſtentiam primo nactæ ſunt.

§. 63. Entium vires non ſunt quid ab ipſis Entibus realiter diſtinctum. Sicuti ergo Entium, ita & virium ſibi inſitarum conſervatio ſingulis momentis a Deo eſt. E viribus autem profluunt actiones Entium. Entium ergo contingentium actiones aliquam habent in Deo ſufficientem rationem. Clarius: Actionum quarumvis ratio cur fiant, & ſint, e viribus eſt: Virium ſufficiens ratio cur ſingulis momentis exiſtant, eſt a Deo. A Deo igitur quoquo modo auſpicanda eſt ſufficiens ratio actionum quorumvis Entium contingentium.

§. 64. Quidquid aliquam continet rationem effectus a ſua propria cauſſa geniti, cum eadem cauſſa ad illum effectum *concurrere* dicitur. Patet adeo eccur dicatur, *Deum ad omnes & ſingulas rerum creatarum actiones immediate concurrere*. Hæc nimirum phraſis id ſonat, Deum ſingulis momentis indeficienti ſua actione Entia, & agentes Entium vires conſervare.

ART.

A R T. II.

Dei Bonitas expenditur, & adverſus profanos vindicatur.

§. 65. Vocabulum *Bonitas* triplici poteſt ſignificatione uſurpari, ut alibi expoſuimus *ont.* §§. 137. & *ſeq.*, nempe *abſolute*, *moraliter*, & *relative*. Cum *Bonitas abſoluta* ſit ipſa rei cujuſque entitas, Deum infinita bonitate abſoluta gaudere evidentiſſime patet, quod ſit natura ſua infinite perfectus *extenſive*, & *intenſive* §. 28.

§. 66. Quoniam *Bonitas moralis* conſiſtit in conformitate actionum liberarum cum præſcripto legis, notio bonitatis moralis ſupponit 1. legem a ſuperiore latam; 2. potentiam in ſubjecto morali deſciſcendi ab illa; 3. neceſſitatem illam ſequendi, ut ſuam conſequatur felicitatem. Atqui hæ notiones pugnant omnino cum Divina perfectiſſima Natura, quæ & abſolute independens eſt, & intrinſecus ac per ſe beatiſſima. Nequit igitur hujusmodi bonitas moralis Deo attribui.

§. 67. Jam vero, cum Deus ſit infinite perfectus, profecto ſingula ejus attributa nequeunt quidpiam inter ſe pugnare, ſed intimo prorſus nexu conjugari debent. Eſt autem Deus, infinite ſapiens, qui quemvis rerum ordinem & pleniſſime intelligat, & rectiſſime adprobet. Dei igitur Voluntas ſuæmet ſapientiæ ſcitis perpetuo, indeclinabiliter, & ipſa ſui natura

adhærens §. 54. rerum ordinem perpetuo, & indeclinabiliter intendere debet, efficaciter perſequi, eique plane adquieſcere; quin vel minimum ab eo deſciſcere queat. Itaque moralis bonitas Dei nequit aliud eſſe, niſi plena conformitas ſuæ voluntatis cum æternis ac infallibilibus ſuæ ſapientiæ ſcitis, ſeu cum æterno rerum omnium ordine, qui in illis ſcitis continetur. Quare, ut patet; lex bonitatis moralis in Deo eſt ipſa Dei ſapientia, ſeu Deus ipſe ſibi. Scopus & objectum ejusdem bonitatis æternus rerum ordo, qui cum ab ipſa Divina natura primam originem nanciſcatur, & in eadem perpetuo maneat, erit Deus ipſe ſibi ſuæ bonitatis moralis & ſcopus, & objectum.

§. 68. Tandem *Bonitas relativa* ſi de Ente ratione ac libero arbitrio gaudente prædicatur, ſignificat voluntatem benefaciendi alteri. Hæc autem relativa Bonitas, ſeu benefaciendi voluntas, niſi cum morali bonitate arcto fœdere ſocietur, imperfectionem ac vitium in ſubjecto conſtituit. Quo igitur ſarta tecta conſiſtat perfectio Entis ratione, & libero arbitrio prædititi, nequeunt binæ hæ bonitates, moralis ſcilicet, & relativa vel latum unguem altera ab altera recedere, ſed debent invicem ſe, & intime complecti. Quare Bonitas Dei relativa non eſt cenſenda quidpiam a morali bonitate diſtinctum, ſed ipſamet moralis bonitas, quam mox §. præc. expoſuimus; quæ proinde definiri poteſt, Voluntas ex æterni ordinis regula ſuis creaturis benefaciendi. *Hominis bonitas*, in-

inquit Auctor profanis non ſuſpectus (a), *eſt Amor ſui ſimilium : Bonitas Dei eſt Amor ordinis* .

§. 69. Eſt autem in ordine poſitum, ut creaturæ, quæ felicitatis capaces conditæ ſunt, & ejusdem natura ſua appetentiſſimæ, felicitatem ſuæ naturæ accomodatam tandem conſequantur, niſi ipſæ ſibi ſint demeritæ. Cum ergo nequeat creaturarum felicitas niſi ex Divina largitate manare, utique patet, Deum non poſſe non eſſe apprime bonum hominibus, ſingulisque creaturis rationalibus non demerentibus.

§. 70. Sed in eodem æterno ordine nequit non eſſe poſitum, ut creaturæ rationales a ſuo ordine recedentes, atque adeo ſuam felicitatem demerentes, miſeriam ſubeant, & infeliciter vivant in ratione ſuæ aberrationis ab ordine. Nequit ergo Deus velle, quin hujusmodi Creaturæ miſeriam ſubeant, ac meritas pœnas ab illo æterno ac indeclinabili rerum ordine manantes luant. Id vero eſt, quod ad *Juſtitiam* ſpectare vulgo dicimus. Eſt ergo Deus ſicuti natura ſua bonus, ita natura ſua juſtus.

§. 71. Ex modo dictis patet, Divinam Bonitatem nihil cum Divina Juſtitia pugnare: immo Bonitatem cum Juſtitia intime ſociari; utraque ſane eſt una, eademque Divina Voluntas ordinem adprobans, ordinem intendens, ordinem indeclinabiliter, ac perpetuo perſequens.

§. 72. Contra Divinam Bonitatem objiciunt

X 3 pro-

(a) *Emil. l. 4.*

profani homines innumera mala, quibus in præſenti rerum ſtatu undique premimur. Poteſt ne Deus, inquiunt, ac ſcit hæc mala a nobis avertere, vel non? Si nequeat, aut neſciat, imbecillis eſt, aut inſcius: nempe non Deus. Si vero ſcit Deus, & poteſt hæc mala avertere, interim ea in humanum genus graſſari patitur, Deum noſtram felicitatem aut nolle, aut non curare dicendum eſt.

§. 73. Qui iſta objiciunt, falſam de Dei Bonitate notionem ſuis mentibus informaſſe in primis revincuntur; tum hominis durationem præſenti tantum vita concludere. Hi nempe Divinam Bonitatem veluti naturæ commotionem ex alterius miſeria, & hinc erumpentem Animi impetum benefaciendi, interpretari videntur. Sed hæc perverſa ſunt, & recta docente ratione procul ableganda.

Divina bonitas eſt *Amor Ordinis*, eſt plena Voluntatis conformitas æterno rerum Ordini ab æternis infinitæ Sapientiæ ſcitis atque rectiſſimis conſiliis fluenti. Itaque non Bonitas Sapientiæ ac Potentiæ imperat, ſed Sapientia Bonitatem & Potentiam moderatur. Quare ſi æternus ac ſapientiſſime conſtitutus rerum ordo haud patiatur, homines in ipſis exordiis ſuæ immortalis vitæ (nempe in hac vita præſenti) plenam conſequi perfectionem, & beatitatem ſuæ naturæ congruentem; ſed exigat, reſervandam eam eſſe alteri ſeculo: minime profecto Divinam Bonitatem redarguere licet, quod nos non effecerit heic plene felices, ſiveritque plura mala obrepere. Ita porro rem ſe habere, facili argu-

men.

mentatione concludere datur. Deus, quem infinite Sapientem, infinite Bonum, infinite Potentem evidentiſſimis rationibus *a priori* petitis edocemur, mala irrepere paſſus eſt in hoc Mundo. Igitur ita fieri ordinis ſumma ratio poſtulabat, neque quin irreperent patiebatur.

Quo poſſet vis objecto conſiſtere, Adverſariis oſtendendum foret evidentiſſimis rationibus, certam, & completam creaturarum felicitatem etiam in hac præſenti vita nihil adverſari æterno rerum ordini, ac rectiſſimis Sapientiæ conſiliis, queis ordo ille continetur. Atqui Stultitia (illa ſcilicet, quæ humana ſapientia dici ſolet) æternæ Mentis Sapientiam edocebit? Tenebræ (humanæ nimirum cognitiones) Lucem ipſam (infinitam Dei intelligentiam) illuſtrabunt? Nihil equidem magis ſtultum, nec quidpiam magis temerarium, quam ex modulo noſtro decernere, quid Deum efficere deceat, quid non item. Sapientis profecto eſt *a poſteriori* argumentari, ut perſpecte monuit inſignis Verulaminus: id Deus effecit, illud non item; primum ergo Deum decebat, alterum non decebat efficere.

§. 74. Sed malorum originem breviter expendere juvat. Mala omnia, queis in præſenti rerum ſtatu premimur ad quatuor mihi videntur claſſes redigi poſſe. Prior ea complectitur mala, quæ inſiti ſunt noſtræ naturæ defectus, & quæ ſunt horum defectuum neceſſaria conſectaria: cujuſmodi ex. gr. ſunt virium tum animi, cum corporis imbecillitas, error, ignorantia, ſenſuum ſive paucitas, ſive obtuſa acies

 &c.

&c. Altera comprehendit mala, quæ ſunt ab indeclinabili ordine mundi, & ex aliqua colliſione noſtri cum legibus coſmologicis, puta terræmotus, tempeſtates, fulmina, inundationes &c calor frigus &c., mors denique. Tertia continet mala, quæ ex ordine quidem ſunt Mundi, & ex legibus coſmologicis, ſed quæ tamen ipſi nobis conſciſcimus. Quarta tandem, quæ ex noſtris præjudicatis opinionibus fluunt, atque ab effræna imaginatione.

I. Qui ſunt inſiti noſtræ naturæ defectus, ſive ad Animum ſpectent, ſive ad corpus, profecto ejusmodi ſunt, ut iis incolumes fieri, intrinſecus pugnet. Cum enim intrinſecus pugnet, Entia contingentia omnimoda perfectione exornari poſſe: in quavis hypotheſi, & in quovis mundano ſyſtemate eſſentialiter iis inerunt virium, ac proprietatum limites, eaque impendebunt mala, quæ ſunt illorum defectuum certa conſectaria. Deinde, in quovis ordinato ſyſtemate nequeunt Entia obtinere, niſi determinatam entitatis menſuram pro majori bono tum ipſorum entium, cum integri ſyſtematis: majorem aut minorem illa ſi obtineant entitatem, extra ordinem proſiliunt, atque hinc vel totum evertitur ſyſtema, vel ipſa Entia in pejus abeunt (a). Mala igitur quæ in præſenti ordinato Syſtemate mundano inſitis noſtræ naturæ defectibus continentur, haberi debent omnium mi-

ni-

(a) Legatur *Pope Epiſt. p. & Bonnet. contemplat. de la Nat. chap. III. part. primier.*

nima, quæ locum haberent in quavis alia entitatum natura & proportione, nec non prorſus inevitabilia.

II. De malis, quæ ex indeclinabili Mundi ordine patimur, quæque conſectaria ſunt legum coſmologicarum; nihil eſt, quod juſte conqueri poſſimus. I. enim ex ipſo Mundi ordine, iiſdemque coſmologicis legibus noſtra pendet exiſtentia, & innumera illa bona fluunt, queis in præſenti vita fruimur. II. Quod ita Mundi ordo ab initio ſit conſtitutus, ut omnium minima & pauciora mala irreperent, maxima vero, & plura bona: id quod pluribus demonſtrare poſſemus per totum Mundi orbem mente diſcurrentes. III. Quod ſæpe numero voluptates doloribus adeo finitimæ & conſequentes ſint poſitæ, ut hos ſatis, ſuperque rependere videantur. IV. Quod mala illa optima ſunt media quibus a nimio præſentis vitæ amore revocemur, neve vitæ voluptatibus irretiti falſo nobis ſuadeamus, permanentem heic habere civitatem, nihil de futura ſolliciti: tum legem ſenſuum legi rationis præferamus. V. Quod ſunt illa aut præparationes ad virtutem ne peccemus, aut juſtæ punitiones ſi peccavimus, ut a peccatis recedamus. Nulla ſane utilior, atque eloquentior virtutis ſchola, quam malorum perpaſſio; nec capitalior virtutum peſtis, quam perpetua vitæ proſperitas: *Miſeriæ tolerantur*, perſpecte Tacitus inquit, *felicitate corrumpimur*.

III. Mala, quæ ipſi nobis conſciſcimus malo ſive corporis ſive Animi regimine plurima equidem ſunt. Atqui hæc nequeunt certe Deo ad-

adjudicari niſi ſumma inſcitia, & stolida temeritate, quæ non verbis, ſed verberibus corripienda foret. Quid enim, Deo ne tribuam ſi doloribus, vel febri laborem (ut id exempli loco auferam) ex ingeſto cibo, potuque ultra quam natura exigebat, & ſtomachi vires patiebantur? Profecto juſtum eſt, quod intemperantiæ pœnas luam: nec eſt, quod Divinam bonitatem redarguam, cum e contrario maximopere commendanda veniat. Hæc ſane mala, mali noſtri regiminis conſectaria, fræna ſunt, ne in vitia corruamus, & ad virtutem colendam calcaria: tum juxtæ ſunt punitiones, ſi hac contempta, in illa conceſſerimus.

IV. Reſtant tandem mala, quæ ex noſtris fluunt præjudicatis opinionibus, & ab effræna imaginatione. Quæ ad hanc ſpectant claſſem, maximam malorum partem capiunt, & ea præſertim, quæ ſocialis vitæ felicitatem maximopere pertubant. Sed nihil hæc mala contra Dei Bonitatem faciunt, quippe ſapientia & prudentia profligantur, ſicuti e contrario ab inſcitia & imprudentia gignuntur. Scitiſſime Epictetus in Enchir. cap. V. *Perturbant homines non res ipſæ, ſed de rebus opiniones . . . . Cum igitur aut perturbamur, aut triſtamur, nunquam alium inculemus, ſed nos ipſos, hoc eſt noſtras opiniones.*

§. 75. Verum vero inquient. Potuiſſet Deus in alia rerum Œconomia humanum Genus conſtituere, e qua perpetua bona fluxiſſent, quin ulla unquam irreperent mala? Quod ſi ita, haud ſumme bonus, ſed in bonitate admodum

par-

parcus Deus fuiſſe videtur, qui illa poſthabita œconomia hanc præſentem condiderit pluribus ſcatentem malis.

§. 76. Sed facilis ad hæc reſponſio. I. Non heic quæritur, quid Deus potuerit efficere, ſed quid efficere eum decuerit. Jam vero non noſtræ caligantis intelligentiæ eſt decernere a priori, quænam ex poſſibilibus œconomiis præſtet ceteris, ſitque Dei Sapientia ac Bonitate dignior.

II. Num ne tantum noſtri ergo Deum condere mundum oportuit? Equidem Deum hominum non demerentium felicitatem velle, omni dubio vacat: at Eum in Mundi creatione noſtram plenam felicitatem primario intendiſſe, vel intendere debuiſſe, id eſt in quo arrogantiſſime de nobis præſumimus, de Deo autem, & de Univerſo imperitiſſime judicamus. Profecto ultimus finis omnium Dei operum nequit quidpiam aliud eſſe, quam Deus ipſe ſibi: atque adeo bonum creaturarum, quæ ſunt felicitatis capaces a Deo quidem intenditur, ſed juxta æterni ordinis regulas: quantum ſcilicet ad ultimum ab ipſo intentum finem conſpirat. Porro ſi totam rerum univerſitatem, ejuſque genericum finem plane intueri poſſemus, utique intelligeremus ea ipſa, quæ nos mala, & ordinis perturbationes appellamus, omnia eſſe Sapientiæ, ac propterea Bonitatis Dei plena.

ART.

A R T. III.

Divina rerum omnium Providentia aſſeritur.

§. 77. DEum æternam eſſe Mentem ab hac Univerſi compage omnino ſecretam, quæ non ulla neceſſitate naturæ, ſed liberrima prorſus voluntate rerum univerſitatem condiderit, ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Cum igitur nullum Agens intelligentia, ac libertate præditum ne concipi quidem poſſit, quod agat quidpiam abſque ulla prorſus ratione, nulloque ſibi præſtituto fine; profecto omnibus conſtare debet, Deum non ſine aliqua ratione, & quidem ſumma, excellenti, ac ſe digna tantam rerum molitionem effeciſſe.

§. 78. Sed ante Mundum conditum nihil præter Deum extabat. Nulla igitur exteriori ratione percieri Deus potuit, ut Mundum conderet. Deinde in comperto eſt, Deum eſſe infinite Ens, ſibi ſufficientiſſimum, naturaque ſua infinite beatum: nec ullum ut ut minimum perfectionis, ac beatitudinis momentum ei poſſe extrinſecus accedere. Igitur omni dubio vacare debet, Deum nullius externi boni conſequendi gratia permotum fuiſſe ad Univerſi opus moliendum.

§. 79. Hæc cum ita ſint, nihil dubitamus, ex Divina perfectiſſima Natura auſpicandam eſſe rationem, eccur Deus & Mundi machinam condiderit, & ſingula quotquot in ea continentur: tum finem ab eo intentum haud eſſe aliud quid-

quidpiam ab illa ratione diverſum . Sed hanc rationem ſive verbis præclare definire , ſive pura mente complecti poſſe, certe negatum mortalibus eſſe autumamus . Ecquis ſane perfectiſſimam , & undequaque infinitam Naturam Divinam perluſtraverit ? Quas rerum ideas , quasve notiones adeo puras , & præcellentes mentibus noſtris gerimus , queis Divina incomprehenſibilia arcana decenter reſerare audeamus? (*a*)

§. 80. Verum vero , utut explicanda veniat Divina iſthæc excellentiſſima ratio , & finis , autumamus , creaturarum felicitatem , Divinæque gloriæ manifeſtationem illa ratione certe contineri . Revera, haud aliter decebat Deum ſe gerere , quam ejusmodi Mundum condere, in quo

---

(a) Hanc rationem & finem ut expedirent Platonici , aſſeverabant , Deum ipſa ſua infinita bonitate percitum fuiſſe ad Mundum condendum , ut ſcilicet eſſent , quos benignitatis , ac ſummæ, qua ipſe fruitur, felicitatis participes efficeret : quæ ſententia antiquis Chriſtiani cœtus Doctoribus non diſplicuit . Procedente vero tempore uſu ſenſim invaluit inter Theologos , ut Deus gloriæ ſuæ cauſſa Mundum condidiſſe diceretur ; quod recte explicatum , & intellectum, nec quidquam habet offenſionis, nec cum priori illa ſententia pugnat. Nam ut perſpecte Cudworthus Syſtem. intellect. Cap. V. ſect. 5. §. 21. *Neque ſanus quiſpiam dixerit , Deum ideo unice fabricatum eſſe hanc rerum Univerſitatem , ut potentiæ , ac ſapientiæ ſuæ ſpecimen quoddam ederet , eoque ſeſe jactaret . Fecit eam , ut bonitatem ſuam cum aliis communicaret , quæ vere ac proprie gloria ejus eſt*. Nec aliter Moshemius loc. cit. adnot. c. n. IV. *Dum homines , & Mundum Deus condidit , quo haberet , quibus benefaceret, ſimul gloriam ſuam ſtabilivit: dumque gloriam ſuam in Mundo declaravit , hominum ſimul ſaluti conſuluit .*

quo infinitæ ſuæ Sapientiæ, Bonitatis, Potentiæ aliarumque perfectionum ſuarum conveniens ſpecimen externum daret, & opus infinita ſua Majeſtate, ac infinita ſua Gloria dignum efficeret. Et quoniam creaturas rationales, & felicitatis capaces in hoc Mundo Deus ipſe conſtituit, eas ad felicitatem condidiſſe, cuivis recte de Deo ſentienti profecto conſtare debet. §. *69*.

§. 81. Hanc autem rerum Univerſitatem, quanta quanta eſt & extenſione, & intenſitate, & duratione, ordinatiſſimum eſſe Syſtema, & medium quam maxime congruens ad illum conſequendum finem, quem ſibi Deus præſtituit, nemo ſana ratione conſtans dubitare poterit. Cum enim Deus ſit infinite ſapiens, ne dum ab ipſa æternitate perſpectiſſime noverat hunc Mundum a fine uſque ad finem, ſicuti & infinitos alios æque poſſibiles Mundos: ſed inſuper ſapientiſſime diſpiciebat, quinam ex hiſce omnibus præſtituto fini ad amuſſim congruebat. §. 42. *& ſeq.* Cum ſit infinite potens, ſolo Voluntatis nutu illorum quemlibet perficere poterat, quin quidpiam ei poſſet vel minimum obſtare. Qua igitur Deus voluntate finem intendebat, profecto & optimum Mundum elegit ex infinitis poſſibilibus, tum & opere complevit. Revera finge, hunc Mundum non eſſe optimum, ſeu fini præſtituto non apprime congruentem; equidem vel defectui Sapientiæ, vel Potentiæ, vel Voluntatis in Deo tribui debet, quod non ſit conditus optimus Mundus. At priora duo Divinæ perfectiſſimæ naturæ repugnant: tertium

vero

vero contradictorium eſt : media enim ad finem conſequendum eadem voluntate continentur, qua finis intenditur. Quin ergo hic Mundus ſit optimum, & aptiſſimum medium ad conſequendum finem a Deo intentum nullo pacto ambigi poteſt.

§. 82. Sed hæc rerum Univerſitas ſummo Divinæ Sapientiæ conſilio, ac pleniſſima omnium futurorum præſcientia olim a Deo condita, inceſſanti actione ab eodem Deo perenniter conſervatur, nec aliter conſervatur, quam Mente concepta fuit. §. *62*. Deus igitur perenni iſthac conſervatione curam oſtendit, ut mundanorum entium ſyſtema illum conſequatur finem, cujus olim gratia mente conceptum, tum reapſe conditum eſt.

§. 83. Et quoniam mediorum ad finem accomodatiſſimorum electio, & cura ne ab illo fine deficiant, *providentiæ* vocabulo deſignatur: Deum providentiſſimum plane eſſe ex modo dictis §§. 81. 82. evidentiſſime patet. Equidem Dei Providentia ex ipſa ejus natura tam arcte ac neceſſario fluit, ut perſpecte Cicero de Epicuro, qui Deos nihil mundana curare ſtulte effutiebat, dixerit, *Epicurus re tollit, oratione relinquit Deos* (*a*). Certe omnes Gentes, ſicuti Supremi alicujus Numinis exiſtentiam agnovere, ita & ejusdem providentiam faſſæ ſunt, & coluere: quod adeo omnibus in comperto eſt, ut demonſtratione non indigeat.

§. 84.

(*a*) *De nat. Deor. l.* 1.

§. 84. At circa Dei providentiam plura occurrunt, quæ maximopere intereſt animadvertere. I. Dei providentiam haud in eo conſiſtere, ut per ſingulos dies, perque ſingulas horas perſpiciat quid factu opus ſit, & qua flectenda ſit rerum ſeries, ſi quidpiam erraverit. Abſurdum id quidem, & infinita Dei Sapientia indigniſſimum. Potiſſima Divinæ providentiæ notio conſiſtit 1. in illa rerum omnium præordinatione ſapientiſſime olim conſtituta ex adæquata omnium futurorum præſcientia, qua præordinatione ſingula entia hujus Mundi ſuas exacte leges ſequentia tum ad ſuos peculiares fines pergunt, cum ad ultimum illum finem, qui in Mundi molitione fuit a Deo intentus. 2. Divina providentia continetur in illa inceſſanti actione, quam conſervationem dicimus, ſeu in perenni illa & efficaci voluntate, qua fit, ut ſingula Entia & perdurent, & pergere non deſinant juxta præordinationem in principio factam.

§. 85. II. Syſtema Divinæ providentiæ prorſus incomprehenſibile haberi debet, ſicuti enim a brutis animantibus intelligi nullo modo poſſunt quæ ab hominibus conduntur ſyſtemata politica, mathematica &c., ita profecto multo minus comprehendi ab hominibus poteſt ſyſtema gubernationis Mundi, quod eſt opus ab infinita Sapientia æternæ Mentis conditum. Revera hujusmodi ſyſtema ſeriem complectitur omnium temporum, omnium entium, omnium eventuum ſibi invicem cohærentium, & ſeſe mutuo explicantium. Quantum profecto eſt hujusmodi ſyſtema, & quam late patet! at quam

exi-

exigua illius pars eſt, quæ nobis innoteſcit! Tum, quantilla eſt humanæ caligantis intelligentiæ & vis & extenſio! quam manca, quam perverſa de quavis ut ut minima re noſtra cognitio! Num ne rerum relationes, ac nexum vel longe perſpeximus? Quam plura ſunt, quæ de unaquaque re ignoramus, quam quæ novimus, vel potius quæ noviſſe putamus?

§. 86. III. Divinæ Providentiæ Syſtema eo magis adorandum, quo minus illud comprehendere valemus. Hinc enim 1. in admirationem rapimur Supremæ Dei Majeſtatis, nec, ſi ſapimus, non poſſumus venerabundi non adorare *altitudinem Scientiæ, ac Sapientiæ Dei, cujus adeo incomprehenſibilia ſunt judicia, & inveſtigabiles viæ*. 2. Incerti de rerum eventibus probamur, & ad ſummas virtutes fidei, ſpei, & omnimodæ religionis excolendas incitamur.

§. 87. IV. Totum Divinæ Providentiæ Syſtema duo præſertim peculiaria ac minora Syſtemata complectitur inter ſe ſapientiſſime, & mirifice connexa: *phyſicum* nempe, quod ad brutam materiam ſpectat, & *morale*, quod Entia ratione, & libero arbitrio prædita reſpicit.

Phyſicum Mundi Syſtema phyſicis legibus regitur, & ad præſtitutum a Deo finem recta pergit Sunt enimvero phyſicæ leges nihil aliud, niſi certæ determinationes viribus materiæ a Supremo Conditore impreſſæ, quibus phyſica neceſſitate fiunt quæcunque fiunt, & ad amuſſim infinitæ præordinantis Sapientiæ. De hoc phyſico Syſtemate ſatis in *Coſ.* c. 4. Atqui Entia,

quæ ſunt ratione & libero arbitrio prædita aliis omnino legibus profecto regi debent, quæ ſint eorum naturæ conformes; leges quippe, quas phyſicas dicimus, rationem & liberum arbitrium deſtruerent.

Determinationes, quæ Entibus ratione & libero arbitrio præditis conveniunt, nequeunt aliæ eſſe, quam quæ ex illiciis bonorum, & amore felicitatis, vel ex horrore malorum, & miſeriæ odio ſuſcipiuntur. Leges itaque, quæ Entibus libero arbitrio præditis conveniunt, nequeunt aliud eſſe niſi certa & immutabilia ſtatuta Supremi Conditoris, quibus bonum & felicitatem creaturis rationalibus in ordine manentibus præordinaverit, miſeriam vero & infelicitatem creaturis ab ordine deſciſcentibus. Iſthæc ſtatuta *leges morales naturales* dicuntur.

* §. 88. V. Leges morales haud cenſeri debent creaturis rationalibus extrinſecus & accidentaliter impoſitæ: ſed in ipſo Mundi ordine inſitæ, & in creaturarum naturis. Neque putandum eſt, ex ſolo Conditoris arbitrio illas ſuam obtinere ſanctionem, ſed præſertim ex rectiſſimis & inflexibilibus Sapientiæ ſcitis, quibus omnis mundanus rerum ordo primum conceptus fuit, tum demum Divinæ Voluntatis efficacitate ad exiſtentiam perductus. Nimirum generale Mundi Syſtema ea arte ab infinita Divina Sapientia conditum eſt, ut indeclinabiliter ad felicitatem ducat Creaturas rationales, quæ ſartas tectas ſervant relationes, quas ad ſingula quævis Entia natura ſua habent, ſuaſque illis attemperant actiones: ſicuti e contrario ad miſeriam

& in-

& infelicitatem efficaciter trahat illas Creaturas rationales, quæ eas relationes violant, corrumpunt, ſuiſque actionibus peſſumdant. Requ dem vera niſi res ita ſe haberet, haud foret Mundanum Syſtema ordinatiſſimum, infinitaque Dei Sapientia ac Majeſtate dignum, ſed opus natura ſua hians, quod externis veluti præſidiis poſtmodum circumvallatum, inſcitiam & impotentiam in Conditore argueret.

§. 89. E mox dictis patet 1. generale Mundi Syſtema ne latum quidem unguem a præſtituto fine aberrare, ſive Creaturæ rationales in ſuo maneant ordine, ſive ab eo deſciſcant. In ſuo enim ordine manentes ſuam conſequuntur felicitatem: a ſuo ordine recedentes miſeriam & infelicitatem nanciſcuntur, & quidem in ratione ſuæ aberrationis. At utrumque verum, & realem ordinem generalem conſtituit: utrumque ad generale Mundi ſyſtema æque ſpectat, & mirifice conſpirat fini, quem Deus mundano ſyſtemati præſtituit. 2. Patet, omnem legum moralium naturalium notitiam auſpicandam eſſe ex relationibus, quæ rationales naturas ad ſingula quævis Entia nectunt.

§. 90. Contra morale ſyſtema Divinæ providentiæ objiciunt profani homines maximam ac incredibilem pene rerum humanarum confuſionem. Inquiunt, æque omnia eveniunt omnibus: probis & improbis, religionis contemptoribus & amicis idem imminet periculum, & æqua ſors. Quin immo perjuri, ſacrilegi, & criminoſi homines non raro melioribus gaudent fatis, quam optimi, & juſtiſſimi. Nullam er-

go Deus, ita concludunt, humanarum rerum procurationem habet.

§. 91. Equidem vis huic objecto conſiſteret, ſi inter demonſtrata foret noſtrorum Animorum cum corpore mortalitas. Id autem cum tantum abſit, ut contrarium recta ratione demonſtretur, ruit propterea objectum illud ipſa ſui mole, tum facili reſponſione exſufflatur. Ita præclare Auguſtinus (*a*): *Placuit Divinæ providentiæ præparare in poſterum bona juſtis, quibus non fruentur injuſti, & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Iſta vero temporalia bona & mala utriſque voluit eſſe communia: ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur* . . . Dein ſubdit. *Si nunc peccatum* (Deus) *manifeſta plecteret pœna, nihil ultimo judicio ſervari putaretur: rurſus, ſi nullum peccatum nunc puniret aperte Divinitas, nulla eſſe providentia Divina crederetur. Similiter in rebus ſecundis, ſi non eas Deus quibuſdam petentibus evidentiſſima largitate concederet, non ad eum iſta pertinere diceremus: itemque, ſi omnibus ea petentibus daret, nonniſi propter talia præmia ſerviendum illi eſſe arbitraremur.*

§. 92. Qui Dei providentiam vituperant, quod mala & impia facta non ſtatim plectat, equidem ſimillimi eorum ſunt, qui videntes in ſcenam prodire facinoroſos, ſceleratoſque homines, eoſ-

(*a*) *Lib. I. de Civit. cap.* 8,

eoſque per totum carmen in ſuis criminibus exultare, tragicum Poëtam incunctanter conviciis petunt, totamque fabulam ut ſceleratam rejiciunt. Tragœdiæ exitum hos expectare oportet, mox enim illos dignis excipi ſuppliciis videbunt, ſuorumque ſcelerum meritas pœnas luere. Vera fabula præſens eſt vita: quilibet noſtrum ſuam in hoc telluris theatro perſonam ſubſtinet, & ita, ut de ſuo ſemper aliquid addat fabulæ. Atqui Deus totam ſapientiſſime fabulam moderatur, & regit. Is ſapientiſſime nectit noſtras hujuſce vitæ actiones cum ſuis geſtis, quæ in altera vita ſequentur: eruntque futura cum præſentibus ita inter ſe apte & concinne connexa, ut ſumma de rebus omnibus providentia eluceat.

§. *93*. Tandem, ſi Deus in humanis rebus moderandis ubique ſuæ providentiæ vim, & præſentiam extraordinariam oſtendere vellet, ſicuti Adverſarii inſcitiſſime & arrogantiſſime poſtulant; profecto miraculis cuncta eſſent replenda, naturæque leges perenniter interpellandæ. At quæ ſumma confuſio rerum hinc prodiret, quæ maxima perturbatio! Ediſcant ergo Adverſarii rectius philoſophari: ſicuti apparentes illæ perturbationes, & monſtra, quæ in ſyſtemate phyſico quandoque occurrunt, nihil de ejus ordine & harmonia detrahunt, quippe ex ejusdem ordinis vi & legibus conſequuntur, & in ipſum ordinem redeunt; ita nihilo ſecius Divina de rebus humanis providentia conſiſtit, licet quædam moralia monſtra quandoque proſilire, & exultare videantur. Moralis quippe or-

ordo, & providentia ex harmonia legum cosmologico-moralium, & ex nexu actionum hujus vitæ cum alterius futuræ vitæ ordinatione reſultare debet.

Finis Theologiæ.

TOTIUS OPERIS CONSPECTUS

IN univerſam Metaphyſicam præfatio . 1

METAPHYSICARUM INSTITUTIONUM PARS PRIOR

In Ontoſophiam prolegomena 5
CAP. I. *De eſſentia, & attributis*. 11
CAP. II. *De variis entium generibus*. 14
CAP. III. *De relationibus Entium*. 23
ART. I. *De relationibus ſimilitudinis*. 24
ART. II. *De relationibus e coëxiſtentia dependentibus*. 32
ART. III. *De relationibus dependentiæ, ubi de Cauſſis*. 49
CAP. IV. *De quibusdam relationibus compoſitis*. 65

INSTITUTIONUM METAPHYSICARUM PARS ALTERA

In Coſmologiam prolegomena. 74
CAP. I. *De Corporum elementis*. 78
ART. I. *Corporum elementa ſunt ne extenſa, vel inextenſa?* 79
ART. II. *Similia ſint, an diſſimilia corporum elementa expenditur*. 87
CAP. II. *De Legibus coſmologicis*. 92
CAP. III. *De Mundi, & Materiæ origine*. 102

ART. I. *Ens aliquod æternum naturæ ſuæ neceſſitate exiſtere, indubie demonſtratur; tum ejus præcipui characteres expenduntur.* 105
ART II. *In materiæ originem inquiritur, eamque èx nihilo conditam vi, & potentia ſupremi Numinis invicte demonſtratur.* 109
ART. III. *Democriti, & Epicuri ſententia refutatur; ubi Mundum potentia, & ſapientia Entis æterni conditum eſſe evincitur.* 113
ART. IV. *Spinozæ ſyſtema abſurdorum, & contradictionum eſſe cumulum oſtenditur.* 118
CAP. IV. *De nexu omnium Mundi Cauſarum & effectuum: ubi de fato juxta Philoſophorum placita diſſeritur.* 121
ART. I. *De nexu omnium Mundi Cauſarum, & effectuum.* 121
ART. II. *Philoſophorum de fato ſententiæ enarrantur, atque refutantur.* 128
CAP. V. *De Naturali, & ſupernaturali.* 139
ART. I. *De Natura generatim; ubi quid ſit naturale edocetur.* 140
ART. II. *De ſupernaturali: ubi de Miraculis generatim.* 143

Finis Coſmologiæ

ME-

METAPHYSICARUM INSTITUTIONUM PARS TERTIA.

In Pſychologiam prolegomena. 1
CAP. I. *De Facultate ſentiendi.* 3
ART. I. *Senſitivæ facultatis indoles atque natura expenditur, & plura ſenſationum doctrinam ſpectantia enucleantur.* 4
ART. II. *Quæ ſit ſedes principii ſenſitiva facultate præditi.* 13
CAP. II. *De Memoria.* 16
ART. I. *De contemplatione.* 17
ART. II *De reminiſcientia.* 18
ART. III. *De recognitione.* 24
CAP. III. *De facultate attendendi, & reflectendi.* 26
CAP. IV. *De imaginatione.* 32
CAP. V. *De facultate appetendi, ejuſque objecto: ubi de affectibus ſummatim.* 39
ART. I. *De facultate appetendi, ejuſque objecto.* ibid.
ART. II. *De affectibus.* 42
CAP. VI. *De humanæ Mentis Voluntate, ac Libertate.* 48
CAP. VII. *De Mentis humanæ Natura.* 56
ART. I. *Animadverſiones ad inveſtigandam Animæ humanæ naturam præliminares.* 57
ART. II. *Humanam Mentem haud eſſe temperationem humani corporis, ac præcipue cerebri invicte demonſtratur.* 59

ART. III.

ART. III. *Cuivis ſubſtantiæ corporeæ intrinſecus pugnare cogitationem, quæ humanæ Mentis eſt propria, demonſtratur, & Lokii ſententia perſtringitur.* 64
ART. IV. *Humanæ Mentis natura definitur.* 72
CAP. VIII. *De Commercio Animam inter & corpus.* 76
ART. I. *Definiuntur hypotheſes, & quæ hiſce ſuperſtrui poſſunt Metaphyſicorum ſyſtemata ad explicandum Mentis humanæ, & corporis commercium.* 78
ART. II. *Adſiſtentiæ ſyſtema expenditur, ac refutatur.* 80
ART. III. *Harmoniæ præſtabilitæ ſyſtema a Leibnitio propoſitum exponitur, atque rejicitur.* 83
ART. IV. *Cauſſalitatis ſyſtema Peripateticum exponitur, & exſufflatur.* 88
ART. V. *Cauſſalitatis ſyſtema novo conamine exponitur, quidve tandem ſentiendum ſit de Anima & corporis commercio edocetur.* 89
CAP. IX. *De idearum, notionumque natura, atque origine.* 96
ART. I. *Animadverſiones præliminares ad idearum, notionumque naturam, atque originem expiſcandam.* 96
ART. II. *Idearum origo ac natura expenditur.* 99
ART. III. *Quædam Philoſophorum placita, quæ idearum ſpectant originem, breviter exponuntur.* 105
CAP. X.

CAP. X. *De Animæ humanæ origine.* 107.
CAP. XI. *De Mentis humanæ immortalitate.* 110.
ART. I. *Mentem humanam ex natura ſua inſpectam, immortalem eſſe, demonſtratur.* 111
ART. II. *Mentem humanam ex ſui Conditoris voluntate inſpectam immortalem eſſe, naturali ratione aſſeritur.* 115

METAPHYSICARUM INSTITUTIONUM PARS QUARTA

In naturalem Theologiam prolegomena. 122
CAP. I. *Deum exiſtere invictis rationibus demonſtratur, & Atheorum præcipuæ cavillationes diſpelluntur.* 125
ART. I. *Deum exiſtere metaphyſice demonſtratur.* ibid.
ART. II. *Dei exiſtentia morali demonſtratione vindicatur.* 127
CAP. II. *De attributis, quæ Deo, ut Enti a ſe, conveniunt.* 138
CAP. III. *De attributis, quæ Deo, ut Menti, conveniunt.* 149.
ART. I. *Dei Scientia expenditur.* ibid.
ART. II. *De Dei abſoluta Beatitate.* 157
ART. III. *De Dei Voluntate.* 158
CAP. IV. *De attributis, quæ Deo, utpote primæ omnium rerum Cauſſæ, conveniunt: ubi de conſervatione, bonitate, & providentia.* 160
ART. I. *De conſervatione.* ibid.

ART. II.

ART. II. *Dei Bonitas expenditur, & adverſus profanos vindicatur.* 163

ART. III. *Divina rerum omnium Providentia aſſeritur.* 172

Finis Theologiæ.

Digitized by Google

QUÆ IRREPSERUNT

ERRATA		*SIC*	*CORRIGE*

In Ontoſophia & Coſmologia

Pag.	v.	Errata	Corrige
29	20	proprierates	proprietates
31	8	§ 52	§§. 50 & 51
34	12	repugnant	repugnat
41	2	augumentum	augmentum
87	7	commenda	commendanda
111	15	*multiplam*	*multiplicem*
108	4	quam	quem
105	4	caracteres	characteres
109	7	caracteres	characteres
109	20	tringlorum	triangulorum
114	23	*conjiciatur*	*conjiciantur*
134	32	proprius	propius
149	17	ſtantes liberum,	ſtantes , liberum

In Pſychologia, & Theologia

pag.	v.	Errata	Corrige
1.	penult.	vicitur	vincitur
3	17	ſategemus	ſatagemus
11	13 & 23	ſenſiendi	ſentiendi
13	23	intimis	extimis
25	27	ſtipantur	ſtipant
28	24	commenda	commendanda
33	24	conticentibus	conticeſcentibus
38	1	reliquuntur	relinquuntur
39	4	malivi	malive
54	3	directix	directrix
94	29	ipſis	ipſi
119	not. v. 6	*proſit*	*proſint*
133	6	Numas	Numa
	10	Ligurcus	Lycurgus

Digitized by Google

Digitized by Google

S. R. M.

SIGNORE

Michele Migliaccio, ſupplicando eſpone alla M. V., come deſidera ſtampare un Libro intitolato *Inſtitutiones Philoſophicæ Auctore Mariano Semmola*; intanto priega la M. V. di commetterne la reviſione a chi meglio ſtimerà, e lo ſpera *ut Deus ec.*

U. I. D. D. Joſephus Maffejus in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor Pr. revideat autographum enunciati operis, cui ſe ſubſcribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimendi concordent ad formam Regalium Ordinum, & in ſcriptis referat potiſſimum ſi quidquam in eo occurrat, quod Regiis juribus, boniſque moribus adverſetur, & ſi merito typis mandari poſſit. Ac pro executione Regalium Ordinum idem Reviſor cum ſua relatione ad nos directe tranſmittat etiam autographum ad finem. Datum Neapoli die XVIII. Menſis Novembris 1796.

FR. ALB. ARCHIEP. COLOSS. CAPP. M.

S. R. M.

JUſſu tuo accurate legi doctiſſimi Viri Sacerdotis D. Mariani Semmola *inſtitutiones philoſophicas*, nempe *inſtitutiones metaphyſices*, in quibus quæcunque a ſenſibus ſunt remota, ſeu rerum naturam, ſeu univerſi ordinem, ſeu naturam animorum, ſeu divina attributa, quantum ratione adſequi licet, facili methodo dilucide pertractantur: atque *inſtitutiones logices*, in quibus, quae ad humanam mentem formandam ſpectant, ſolide praecipiuntur. In his utriſque inſtitutioni-

bus omnia ſumma eruditione, & doctrina, nec minori pietate explicantur; tantum abeſt, ut quidpiam aut juribus Majeſtatis, aut bonis moribus adverſum contineant; quare edi poſſe cenſeo, niſi aliter Majeſtati Veſtrae fuerit viſum. Neapoli Kalendis Decembris 1796.

MAJESTATIS VESTRAE.

Umiliſſimus addictiſſimus & obſequentiſſimus.
Joſephus Maffejus Regius Profeſſor.

Die 8. menſis Auguſti 1797. Neapoli ec.

Viſo reſcripto S. R. M. ſub die 5. currentis menſis, & anni, ac relatione U. J. Doctoris D. Joſephi Maffei, de commiſſione Reverendi Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majeſtatis &c.

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti reviſoris. Verum non publicetur niſi per ipſum Reviſorem facta iterum reviſione, affirmetur, quod concordat, ſervata forma Regalium ordinum, ac etiam in publicatione ſervetur Regia pragmatica. Hoc ſuum ec.

TARGIANNI

PECCHENEDA

VOLLARO

V. A. R. C.

Izzo Cancelliere

Paſcale

Reg. fol. 17. *a t.*

Illuſtris Marchio MAZZOCCHI P. S. C. & ceteri Aularum Præfecti tempore ſub. impediti.

EMINENTISSIMO SIGNORE .

Michele Migliaccio pubblico Stampatore ſupplicando eſpone all' E. V. come deſidera dare alle ſtampe un' opera intitolata *Inſtitutiones Philoſophicæ Auctore Mariano Semmola* . Prega perciò l' E. V. a commetterne la reviſione a chi più le piace .

Admodum Rev. Dominus D. Donatus Giglio S. Th. Prof. revideat , & in ſcriptis referat . Die 4. *Septembris* 1797.

FRANCISCUS ROSSI CAN. DEP.

Inſtitutiones Philoſophicas appoſite ad Tyronum captum a Mariano Semmola concinnatas, ea diligentia, qua tua juſſa capeſſere par eſt, Princeps Eminentiſſime , perlegi . In illis. præterquam quod methodo meridiana luce clariore argumenta tum unde unde exquiſita, tum propria e penu depromta ſapienter ad Philoſophiæ firmanda dogmata congerit Auctor , in illud porro omnes ſollertiæ nervos intendit , ut & ſanctiſſima morum ratio recte ſibi conſtet , & jura Religionis , ſi unquam antea ſuſque deque habitæ, nunc ut cum maxime peſſimo fato divexatæ , ſarta tecta ſerventur . Quæ cum ita ſe habeant, cumque nihil optimo Præſuli antiquius, ſanctiuſque eſſe debeat, quam ut adoleſcentes ſanctioribus , minimeque ſubdolis ſententiis imbuantur (nam *quo ſemel eſt imbuta recens* , *ſervabit odorem Teſta diu*) in publica commoda peccatum iri reor , ſi hujuſmodi Opus minime Typis mandetur . Quare ſi ita

Eminentiæ Tuæ videbitur, publici juris fieri poſſe cenſeo. Dab. Ædib. Seminarii Urbani XVIII. Kal. Octobr. MDCCLXXXXVII.

EMINENTIÆ TUÆ

Addictiſſ. Obſequentiſſ. Famulus
Donatus Gigli.

XXIII
D
16

Digitized by Google

1115h

Digitized by Google

Digitized by Google